UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## Codicis Dn. Ivstiniani Sacratissimi Principis P.P. Avg. Repetitæ prælectionis Libri XII

**Justinian <I., Byzantinisches Reich, Kaiser>**

**Francofurti ad Moenum, M D LXXXVII.**

Iustiniani Imperatoris edicta

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1733

Visual Library

# IVSTINIANI IMPERATORIS EDICTA.[a]

## Henrico Agylæo interprete.

Edictum ſcriptum in omni terra pijſſimis Archiepiſcopis & ſanctiſſimis Patriarchis.

TRADITA[b] nobis à Deo reipubl. curam habentes, & in omni iuſtitia viuere noſtros ſubiectos ſtudentes, ſubiectā legem conſcripſimus: quam & tuæ ſanctitati, & per eam omnibus qui tuæ prouinciæ ſunt, facere manifeſtam, benè habere putauimus. Tuæ igitur ſit reuerentiæ & cæterorum hoc cuſtodire: & ſi quid tranſcendatur à iudicibus, ad nos referre. & quæ ſequuntur.

### NE PRÆSIDES IN FISCALIBVS cauſis fidem[c] publicam dent.

*EDICTVM II.*

Idem Imperator Iohanni prætoriorum præfecto.

### PRÆFATIO.

EX ijs quæ à gloria tua ſine ſcripto ad nos relata ſunt, non exiguam publicorum tributorum illationi difficultatem prouinciarum præſides, dum quibuslibet fidem publicam dant, attuliſſe cognouimus. Eos enim qui tributa publica ſuſcipiunt, inde ſibi ſecuritatem atque tutamentum prętendentes, quod aurum ipſis perfuſum ſit, non tranſmittere, ſibíque maximam partem retinere, & cùm aurum debeant, malè ſibi data fide publica abuti. 1 ¶ Miſſa igitur ad excellentiam tuam hac ſacra pragmatica forma, ſtatuimus, vt per edicta ſua omnibus clariſſ. prouinciarum præſidibus interdicat, ne in fiſci cauſis fidem[d] publicam dent: in priuatorum autem ſolum cauſis liceat ipſis, ijs qui id deſiderant, fidem publicam dare, ídque ad certum tempus: quod non continuò poterunt, vbi elapſum fuerit, denuò renouare. Sciāt verò omnes quòd vbi tales ſecuritatis promiſſiones ab illis acceperint, nullam inde vtilitatem ſenſuri ſunt: ſed facultas cuicunque, cui hoc iniunctum eſt, vt quæ ab illis debentur publica tributa perfundat, fuerit, vt illos comprehendat: vt quæ illis in prouincia data fides publica fuerit, in nulla re ipſis vtilis futura ſit. Cæterùm illi ſoli ſecuritatem habeant, qui aut ad ſacram noſtram iuſſionem, aut ad excellentiæ tuæ mandata ſecuritatis promiſſiones abſtulerint.

### CAP. I.

POſteaquam etiam à gloria tua edocti ſumus, quomodo nōnulli in diuerſis prouincijs, inquiſitione[e] in eos qui ſe hæreticorum erroribus dediſſent facta, cùm multos ſubditos hanc ob cauſam comprehendiſſent, ſportularum ratione magnam vim auri ab ipſis ceperint: ſancimus, vt qui id auſi ſunt, & comprehendantur, & ad clariſſ. prouinciarum præſides adducantur, poſt probationes, quod ceperint, in triplum refuſuri: vt ſimplum ijs qui damno affecti ſunt, reddatur, duplum verò in fiſcum inferatur. 1 ¶ Porrò qui in vicariana cohorte, quæ ſpectabili Aſianę iuriſdictionis vicario apparet, locū & ordinem obtinent, ſuo bonorúmque ſuorum periculo publicorum tributorum illationi incumbant: cùm quidem qui in prouinciali cohorte numerantur (quomodo & id ad noſtram pietatem excellentia tua retulit) deficiant numerúſque ipſorum in paucos admodum coarctetur, ac à longo iam tempore clariſſ. prouinciæ Phrygum Pacatianorum[a] gentis præſidis magiſtratum etiam vicarius aſſumpſerit. Qui ergo in vicarianam cohortem referuntur, facultatem habeāt, vt ex vicarij qui nunc eſt, & pro tempore futurus eſt, iuſſu publicas contributiones exigant, illáſque fiſco inferendas curent. 2 ¶ Conſtituimus etiam, vt qui in quacunque prouincia prouinciales tributorum ſuſceptores ſunt, in apochis quas faciunt, quod ipſis perfuſum aurum eſt, diſtinctè deſcribant: diſtinctè etiam ponant, quantum occaſione eorum quæ excellentiæ tuæ menſæ, quæq́ue ſacris noſtris largitionibus competunt, tranſfuſum ſibi ſit: vt perſolutam quantitatem per huiuſmodi acceptilationes euidēter explicent & manifeſtent: deniq; ne qui facultatem habeāt, vt quæ ex alijs titulis acceperint, in alios tranſponāt & acpta ferant. 3 ¶ Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram pragmaticam declarantur legem, ea excellentia tua ad effectum deduci præcipito.

### DE ARMENIORVM SVCCESſione.[b]

*EDICTVM III.*

### PRAEFATIO.

ARMENIOS priſtina iniuſtitia liberatos, tum ad noſtras per omnia leges deducere, tum decora æquabilitate donare volumus.

### CAP. I.

ET quoniam barbaricam[c] quandam inſolentémque, & quæ neque Romanos, neque noſtræ reip. iuſtitiā deceat, apud ipſos eſſe legem nuper didicimus (vt *nempe* maſculi in parentum hæreditatem ſuccedant, fœminæ verò non) emiſſa præſenti ad magnificētiam tuam ſacra lege decernimus vt ſucceſſiones æquales ſint: & quæ de viris mulieribúſque Romanorum legibus conſtituta ſunt, hæc etiam in Armenia obtineant. Sanè idcircò illuc noſtras etiam leges tranſmiſimus, vt in eas oculos conuertentes, ad præſcriptum illarum, rempublicam gubernarent. 1 ¶ Quoniam verò quæ præceſſerunt, ea omnia commouere abſurdiſſimum eſſet, ſtatuimus, vt hęc lex inde ab initio pij noſtri imperij vim & vigorem habeat: vt ab eo tempore hucuſque defunctorum ſucceſſiones hunc ad modum fiant, præterquam ſi qui iam tranſegerint, alióve modo ſe inuicem liberarint. Si enim tale quippiam factum ſit, id in ſuo robore permaneant, nulloque modo commoueatur, iubemus. 2 ¶ Porrò *mulieres* à prædicto tempore eorum etiam prædiorum quæ genearchica[d] vocantur, participes eſſe volumus. Si verò inueniri nonnullos contingat, qui filias, quanquam non vocarentur ab inteſtato ad ſucceſſionem, hæredes tamen ſcripſerint illę ſimiliter, quíque ex illis nati fuerint, in res genearchicas ſucceſſionis participes ſint.

### EPILOGVS.

¶ Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram declarantur legem, excellentia tua & cuſtodire & fini tradere ſtudeat: vt leges noſtræ per omnia obtineant, authoritatémque habeant. Ac præſens quidem lex ab initio imperij noſtri (vt iam diximus) incipiat, & ſimul in omne tempus

[a] Edicta ſunt generales leges, quæ omnes populos & prouincias tenent *l. 3. C. de legib.*
[b] hoc edictū extat in Nou. 8. poſt c. 14.
[c] ἀσυλίας λόγον. *vt & in edicto* 13. *c.* 11. ǰ. Vetātur ini qui tributorū exactores. λόγῳ ἀσυλίας κεχρῆσθαι *Nou.* 128 *c.* 13. dicitur etiā ſimpliciter λόγος. *Edict.* 13. *c.* 10. ǰ. Nouel. 17. *c.* 6. appellat καλούμενον λόγον, *vt* & Nou. 5. *c.* 2. §. 1. καλουμένην ἄδειαν. vbi interpres vertit Iuſiurandū. Galli, *Franchiſe & ſaufconduit.* *v.* *Papon.* 5. *Arreſt.* 7. *de ſaufconduits, & enfreinte d'iceux &* 3. *Notar.* 8. *des ſauf cōduits & paſſeports.*
[d] λόγον ἀσυλίας *Scrimg.*
[e] Vetat hoc edictū vllos quæſitores hæreticorū admitti, *vt & Nou.* 17. *c.* 11. *Nou.* 103. *c.* 2. Hāc .n. poteſtatē ſæpe nefarij qdā à principe poſtulabant, vt hoc prętextu expilarēt plebem innocētē. Poſſis huc referre ex Tomo 4. *Ordinationū Galliæ* titul. 3. *des Inquiſiteurs de la foy, & de leur iuriſdictiō*: Papon. 19. *Arreſt.* 2. *num.* 10: Clar. 5.

*ſent.* §. *hæreſ.* 7. Petrū Gregoriū 33. *ſyntagm.* 6. 7.
[a] Phrygiæ Pacatianæ fit mētio in Nouel. 8. *c.* 2.
[b] *adde Nou.* 21 *de Armen.* & pſertim *c.* 1. *ibid.* in quo fit mētio ſucceſſionis apud Armenios receptæ *adde Nouel.* 31.
[c] Eadē lex obſeruata fuit à Salijs, ſeu Frācis his verbis; *de terra Salica nulla portio hæreditatis in mulierē pertrāſit &c. tit. de Alodis, l.* 6. & ab Anglis ſeu Theruingis idē etiā receptū, addita pͥhibitione, *ne hæreditas trāſiret à lancea ad fuſum. Titulo de Alodibus, l.* 8. Diſplicuit tādem ea lex Frācis, excepta regni ſucceſſiōe, vt ex formula Marculphi apparet, quę extat apud Cuiaciū 8. *obſ.* 14.
[d] τῶν γενεαρχικῶν χωρίων *Scrimg.* Genearchica pdia, pgenitoralia pdia vertit interpres *Nou.* 21. *c.* 2. *inf.* ꝓpria cuiuſq; patrimonia, quæ nihil pēſitāt, nec fidē vel hominiū, inueſtiturā, vel εἰσδεκτικὰ debēt: eáque vulgò Allodia: & lib. 2. Feud. 48. dū ait, ſi datū ſit ad ꝓpriū ſiue ad libellū allodiū intelligit, *vt tit.* 28. allodiū ſiue libellariam:

tempus extenſa, in poſterum omnibus modis in republica vim habeat, atque ab omnibus obſeruetur. Datum X. Kal. Auguſt. Biliſario [a] V. C. Conſ.

## DE MAGISTRATV PHOENICIÆ Libanicæ [b].

### *EDICTVM IIII.*

Idem Imp. Iohanni glorioſiſſ. ſacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconſule & patricio.

### PRÆFATIO.

MAGISTRATVS creari oportere gratuitò, id lex noſtra [c] præcipit, quam ſanè & authoritatem per omnia obtinere volumus.

### CAP. I.

POſteaquam verò omnia ad ſubditorum beneuolentiam *demerendam*, locorúmque cuſtodiam & munitionem vndique indagantes, magiſtratus partim cõiunximus, partim diuiſimus, alios in aliam atque aliam formam tranſmutauimus, nonullos verò ſublimiores fecimus, nominibúſq; maioribus quàm quæ tunc eſſent, decorauimus, prætores [d], proconſules [e], moderatores [f] & comites [g] præter priſtinam conſuetudinem in rempubl. introducentes, omniáque ad ipſius vtilitatem facientes: oportere etiam putamus, vt magiſtratum Phœniciæ ad Libanum ex ducalibus in ſpectabilem transferamus, & moderatoris formam illi demus, tum etiam annonas ad decem auri libras aſſignemus: ipſe verò iſtius prouentus occaſione fiſco nihil præbere debeat. Interim apud Phœnices ſcrinij tractator, pro nuper attributo illi munere, quod & beneficium [h] nuncupatur, ex canone eiuſdem prouinciæ clariſſ. pro tempore ſpectabilium tribunorum notariorum primicerio denas auri libras in ſingulos annos dabit, quibus ille ſolis contentus eſſe debebit. Moderator porrò à muneribus [i] omnia pura conſeruet: & quatenus ipſi ſacra noſtra conſtitutio permittit, militum miniſterio vtatur.

### CAP. II.

VErumtamẽ eximium illi fortiſſimorum Tertiodelmatorum [k] numerum, vt in Phœnicum regione eſt, aſſignamus, qui præcepta ipſius exaudiant, qui ipſum inſequantur: qui denique iuſſis ipſius, quæ aut de vectigalium exactionibus aut de reipubli. ſtatu, aut de ciuitatum incolumitate procedent, pareant. Qua de re cùm inſtrumenta etiam confici iuſſerimus, ſtatuimus vt excellentia tua hæc omnia cognoſcens, huius magiſtratus præfecto decem libras auri in annonas aſſignatas, ex prouinciæ tributis perſoluendas conſtituat. Interim quę conſtituta ſunt, vt quotannis à publicarum rationum ꝓcuratore ſpectabili clariſſ. tribunorum notariorum primicerio darentur, imminuẽda non ſunt: neque verò prę terea quicquam illi eſt addendum. 1 ¶ In primis autẽ *moderatori* ſtudio ſit, vt fiſco faueat [l], dehinc vt diſciplina & conueniens ordo in ciuitatibus conſeruetur: tertiò, vt iuſtitiam inter plebeios exerceat. Quæ verò (vt dictum eſt) ſcripta ſunt à nobis de moderatorum reliquorúmque magiſtratuum ſtatu in ſacra noſtra conſtitutione, ea omnia & in illo locum habeant. 2 ¶Sanè ſi dictus deuotorum Tertiodelmatorum [m] numerus noſtro iuſſu in alia transferatur loca, alterum illi *in eius locum* ſurrogatum & ſubijciendum curabimus: vt ne quid ex ſolẽmni plenóque auxilio omnino illi deſit. In his porrò iam dictis rebus ſpectabilis dux nihil communionis habebit. Nolumus enim quicquam illi commercij eſſe aut cum militibus ſpectabili moderatori certò aſſignatis, aut cum plebeiorum quoquam, aut cum illorum controuerſijs quas inter ſe habuerint: aut ſi cui plebeiorũ, in quos illi nullum ius conceſſimus, dica impingatur: pro-

[a] .i. anno 535.
[b] λιβανησίας *Scrim*. Phœnicia libanica, ad Libanũ mõtẽ ſita. de Libano ỹ. *Pli*. 20. Libani ſit etiam mẽtio ſæpiſſimè in ſcripturis.
[c] *Nouell*. 8.
[d] hinc p̃tor Lycaonię *Nouel*. 23. Paphlagoniæ *Nou*. 29. Piſidiæ *Nou*. 24. Siciliæ *Nou*. 104. Thraciæ *Nou*. 26. Populi *Nou*. 13.
[e] hinc procõſul Cappadociæ *Nou*. 30. Paleſtinæ *Nouel*. 103.
[f] hinc moderatores Arabiæ *Nou*. 102. Helenoponti *Nou*. 28.
[g] hinc comes Iſauriæ *Nouell*. 27.
[h] βενεφίκιον *Scrimg*.
[i] excipe eſculenta, potulẽta quę ad paucos dies prodigũtur *l*. 18. ff. *de off. præſid*: excipe ξένια, de quib. dictum eſt: vt nec omnia, nec quouis tempore, nec ab omnibus acciperẽtur *l*. 6. §. 3. ff. *de of. proconſulis*.
[k] τερτιοδελμάτων *Scrim*. ſic ỹ. *eod*. §. 2.
[l] Res ita eſt, Vectigalium exactionem commendari p̃ſidibus *Nouel*. 8. c. 8. *Nouel*. 161. *c*. 2. quanquã in dubijs cauſis fiſco fauendum eſſe neget lex 10. ff. *de iure fiſci*.
[m] Τερτιοδελμάτων, vt s. *e.n.* officiales ac domeſtici moderatoris Phœniciæ Libanicæ fuiſſe videntur. audiui, qui diceret Syriaca lingua *Terſita dalmin* ſignificari ſtipatores, à *Terſita*, id eſt, clypeis & *Almin*, id eſt, graſſatoribus: vt Tertiodalmati milites fuiſſe videantur, graſſatoribus præhendendis deſtinati. Idq; colligi ex 1. *Reg*. 10. ỹ*erſ*. 17: & 14. ỹ*erſ*. 26. vbi ſit mentio clypeorum in domo Libani repoſitorum: quod huic Edicto nõ malè cõuenit, quod eſt de Magiſtratu Phœnicię Libanię.

pterea quod inter rei militaris curam & ciuilem adminiſtrationem permultum interſit, ac diſcerni hęc oporteat, quemadmodum patres reipub. id nobis ordinarunt & cõſtituerunt. Ac ſciant ſpectabiles duces, ꝙ ſi rebus ciuilibus ſe ingerere [a] audeant, militarem magiſtratum non retinebunt, & huic magiſtratui ſubijciendi erunt. In nulla námque re inferiorem hunc magiſtratum ducis magiſtratu eſſe volumus. Volumus inſuper, vt (quomodo dictum eſt [b]) quàm vehementiſſimè publicarum contributionum exactioni incumbat, plebiſque incolumitati inuigilet, & ne ſpectabilibus ducibus, neque clariſſ. tribunis, neque cuiquam potentium domuum, imò ne ſacro quidem noſtro patrimonio, aut ſacris noſtris priuatis, aut ſacræ noſtræ domui, qualecunque tributarijs noſtris damnum inferre permittat: vt ne etiam demiſſo animo neque pauidus ſit, ſed virilem in modum ſubditis præſit, omniáque faciat quibus alij moderatores ex pręſcripto obſtricti ſunt. Atque ita *quidem* rerum ſumma ab ipſo adminiſtretur.

### CAP. III.

ILlud ſanè etiam fieri & obtinere volumus, vt ſpectabiles duces [c] inde annonas auferant, vnde ſpectabilis prouinciæ moderator eas auferendas conſtituerit: ꝓpterea quòd manifeſtum ſit eos non tam ſocorditer ad res animum aduerſuros eſſe, vt quæ ſibi competãt, petere non poſſint. Scient verò, quòd ſi præter hæc quippiam fecerint, viginti librarum auri mulctam perfundent.

### EPILOGVS.

¶ Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram declarantur legem, excellentia tua effectui & fini tradere ſtudeto.

## DE [d] TEMPORE [e] ACTIONVM quæ ſacris locis competunt.

### *EDICTVM V.*

### PRÆFATIO.

QVOD [f] medicamenta morbis, hocius præſtat controuerſijs, &c.

## EDICTVM PIENTISSIMI DOmini noſtri Iuſtiniani [g],

### *VI.*

### PRÆFATIO.

COGNOVIMVS, quomodo poſt caſtigationem Domini Dei benignitate immiſſam, ꝗ negotiationes & ludos [h] literarios exercent, diuerſi etiam generis artifices & agricolæ, inſuper & nautæ, cùm potiùs meliores fieri deberent, lucri cupiditati ſe dediderint, & duplicia tripliciáque precia ac mercedes præter veterem conſuetudinem requirant.

### CAP. I.

VIſum igitur eſt per ſacrum edictum omnibus interdicere deteſtandam iſtiuſmodi auaritiam, & ne quis in poſterum cuiuſcunque diſciplinæ aut artis magiſter, qualiſcunque etiam negotiationis negotiator, qualiſcunque demum agriculturæ agricola, quàm vetus conſuetudo ferat, plus [i] precij mercedíſve nomine exigat. Iubemus verò etiam, vt ædificiorum, & colendæ terræ, aliorúmque operum menſores nihil amplius operatijs imputent, & illis antiquam conſuetudinem conſeruent. Hæc autem obſeruare iubemus & eos qui qualiacunque opera demandant, & eos qui aliqua redimunt. Siquidem nec ipſis ampliùs quàm more conſtitutum ſit, dare concedimus. Sciant verò qui quicquam amplius quàm pro veteri conſuetudine requirunt, quod triplicem quantitatem in fiſcum inferre cogentur, ſi ſuprà id quod ab initio conſtitutum fuerit, cepiſſe illos quicquam aut dediſſe oſtenſum ſit. Hæc porrò inquiri ac vindicari iubemus & ab excellentia tua, & à glorioſiſſimo fœlicis huius vrbis præfecto. Volumus enim per vos ab huius noſtri edicti tranſgreſſoribus conſtitutam mulctam exigi pœniſque illos ſubdi: ita vt quæ nobis parent cohortibus, quinque librarum auri mulcta incubitura ſit, ſi quid ex ijs quæ à nobis

[a] ỹ. *l*. 1. *C*. *de off. magiſt. milit. l*. 1. *C*. *de of. militari. iud*. eſt enim abſurdum iuriſdictiones miſceri.
[b] §. 1. s̃. *eod*.
[c] militum ſc.
[d] περὶ λιτιγιόσων, καὶ περὶ ἀσφαλείας ἣν δεῖ ποιεῖν τοὺς ἐνάγοντας περὶ τῆς τῶν ἐναγομένων ὑπομνήσεως *Scrimg*. vitioſa eſt hæc inſcriptio, nec titulo cõuenit quod etiam Cuiacius obſeruauit. 5 *obſ*. 5. *inf*.
[e] hæc conſtitutio inter Iuſtiniani conſtitutiones eſt III.
[f] *d*. *Nou*. III.
[g] de formula artificum, idque edictum reperitur inter Nouellas Iuſtiniani *Nouell*. 122.
[h] τὰς μεθοδείας, i. conuentus hominum, mercatus, vt *Nouell*. 122.
[i] *d*. *Nou*. 122. *c*. 1.

conſtituta ſunt, neglectum fuerit. Dat. 2. Kal. Apr. Conſtantinop. Dn. Iuſti. PP. Aug. poſt [a] Biliſ. V.C. Conſ.

## FORMA PRAGMATICA DE ARGENTARIORUM [b] CONTRACTIBUS.

### *EDICTVM VII.*

In nomine Domini Ieſu Chriſti Dei noſtri.

*Imperator Cæſar Flauius, Iuſtinianus, Alemanicus, Gotthicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vuandalicus, Africanus, pius, fœlix, inclytus, Victor, triumphator, omni æuo adorabilis, Auguſtus.*

### PRAEFATIO.

QVEMADMODVM virtutis vis in rebus aduerſis ſemper elucet, ita etiam Imperatoria cura & gubernatio in ſubditorum cōtrouerſijs manifeſta fit. Et optandum [c] quidem nobis eſt, nequid vnquam reipublicæ noſtræ aduerſi eueniat: verùm ſi aut rerum humanarum mutabilitas, aut commota ad id diuina volūtas mortalibus mala immittat, deſuper benignè inducta caſtigatio Imperatoriæ curæ benignitatíſque occaſio fit. Quod ſanè hoc tempore *ita euidenter* accidit, vt opus expoſitione non ſit. Cùm enim mortis aculeus & periculum omnia loca peruagata ſint, quod quiſque ſenſit, nemini audire neceſſe eſt. Quādo itaque multa ex improuiſo inciderunt, quæ non temerè tempus aliud induxiſſet: qui in corpore ac collegio argentariorum recenſentur, nos acceſſerunt, dicentes [d] hęredes nonnullos ac ſucceſſores quorundā, qui ſcriptura non interueniente ab argentarijs aurūm, aut argentū etiam, aut alias ſpecies accepiſſent, ad perfidiam improbitatémque ſpectare: quòd videlicet neque qui ceperūt, ſupereſſent, neque ipſi hæredes ſiue ſucceſſores, cùm cōtractus conſcripti non ſint, conuinci poſſint.

### CAP. I.

HVic igitur rei mederi conantes, ſtatuimus, vt qui ad hunc modum iudicium ſubeunt, oculis in conſcientiam defixis, expreſsè ac plenè quæ illis in quorum bona & ius ſucceſſerunt, ab argentarijs data ſint, cōfiteantur: vt etiam *qui adhuc* ſuperſtites *ſunt*, eius collegij [f] quod ipſis actionem intendit, argentarijs idipſum faciant. Idem etiam à ſeruis, qui ab ijſdem iudicibus examinantur, fieri iubemus. Sciat verò vtraque pars, ſi miniſtrorum teſtimonio, aut quæ cum iureiurando fiat, diariorum productione, aut alia etiam aliqua ſufficiēti probatione res conuincetur, quòd qui improbè egerint, quæ fraudulenter & per improbitatem negauerint, in duplum [g] dependent, ſiue rei veritatem occultauerint, ſiue illam cognoſcere neglexerint.

### CAP. II.

ALterum ad nos ab eiuſdem corporis argentarijs relatum caput eſt, vt ne teneantur quæ ab illis cum quibus contraxerunt, confeſſiones, tabulæ, aut ratiocinia ipſorum manu conſcripta, ſibi exhibita ſunt, poſteaque in dubium deuocantur, iſta ipſi per publicorum inſtrumentorum collationem probare: propterea quòd ipſorum collegium multis, & præcipuè nobilibus credat, qui contractus ſuos publicari [h], aut ſtatum rerum ſuarum manifeſtum fieri non ſuſtinent, malúntque (vt conſentaneum eſt) diuites quàm obærati alijs videri. ſed vt propria manu (vt dictum eſt) in ſe conceptæ literæ eādem cum publicis inſtrumentis vim obtineant. 1 ¶ Et in hoc mediam [i] quandam nos viam ingreſſi, qua & argentarios aduerſus eos qui de talibus capitulis litem mouebūt, & rurſus hos aduerſus illos vti volumus, ſtatuimus, vt ſi iſtiuſmodi illorum qui contraxerunt propria manu ſcriptas literas argentarij proferant, quas aut ipſe cuius eſſe dicuntur, aut ipſius hæredes ſucceſſorésve non poſſunt cum iureiurando abnegare, tanquam *proculdubio* ab illo cuius præ ſe nomen ferunt, ſcriptæ ſint, numeratam pecuniam [a] non eſſe opponi nequeat. Inſuper verò ſi argentarius ex [b] publico inſtrumento propriæ manus [c] ſcripturam confirmare poſſit, aut ipſe quidem id negligat, aduerſarius verò ex alteriùs publici ſcripti comparatione ſcripturam illam vt falſam redarguere nequeat: tunc ex inſtrumentis, quæ illorum manu *de quibus agitur*, conſcripta eſſe certo conſtat, & teſtium ſubſcriptione ſtabilita ſunt, ad ea *eorundem* ſcripta, quę ab argentarijs, aut aduerſus eos ab ijs qui contraxerunt, proferuntur, comparatio fiat, firmáque ſint, nec minorem quam publica inſtrumenta vim & authoritatem habeant, non ex firmitate & vigore qui illis inſit, ſed ex ſola forma. Nihil etiam præiudicij in hoc ſupplicib. fit, quod in ſcripto ab ijs qui contraxerunt ipſis dato, hypothecæ, aut hæredum ſucceſſorúmve nomina non [d] inſint.

### CAP. III.

EIuſdem porro corporis argentarij, ſimiliter etiam qui cum illis contrahunt, dummodo ſimiles aduerſus illos actiones moueant, facultatem habebunt, vt ſi qui defuncti propter inopiā hæredes non habuerint, debitores verò reliquerint, aut res aliquæ quæ ad ipſos pertineant, apud aliquos depoſitæ oppigneratæve inueniantur: aduerſus illos competentes actiones moueant, & ex illis ſatisfactionem ſibi parent. Idem etiam ipſis in bonis illorum qui cum ipſis contraxerunt, & debent, dū illi adhuc viuunt, ſeruabitur, vt ipſis, ſiue actores, ſiue rei ſint, ſi velint, tametſi in inſtrumentis hypothecæ nulla mentio inſit, hypothecarias tamen actiones mouere liceat: quaſi eæ naturaliter [e] argentariorum, eorumque qui cum ipſis contrahunt, contractus comitentur. Habebūt verò id etiam, vt tempore poſterioribus creditorib. præferantur. Non æquum enim eſt, à noſtrorúmque temporum iuſtitia alienum, eos qui bene de alijs merentur, rebus ſuis priuari: qui verò debent, ſuperbire de alieno.

### CAP. IIII.

ILlud ſanè etiam in illorū ſubſidium adijcimus. Quoniam enim quæ ab ipſis ineuntur contractibus, vehementer nouella noſtra [f] lex repugnat, quę iubet ne creditores aduerſus eos qui aliquid à debitoribus emerint, prius iudicio agant quam principales debitores per ceſſionem bonorum non ſoluendo eſſe conſtet, (id quod admodum illis graue & moleſtum fuit, propterea quòd qui emunt, velut ex conſuetudine quadam & *ob euictionem* fideiuſſores quærant, & aliam ſibi omnēm ſecuritatem parent: ipſis verò id neque conſuetudo, neque in conficiendis contractibus celeritas permittat) per præſentem ſacram pragmaticam formam, eam ſpeciali munificentia ipſis elargimur, quæque alteri perſonæ, collegio, corpori, aut officio nullomodo competat, ſtatuimus, vt & ipſi & qui cum ipſis contrahunt, quando aduerſus ipſos actiones inſtituunt, in inquirendis perſequendíſq; rebus in quibus ipſis tempus prærogatiuam præbet, tali priuilegio [g] vtantur, quale ante legis noſtræ lationem habuerunt: vt probatione debitores bonis ceſſiſſe non grauati, ſiquidem ſatisfactionem à principalibus conſequi nequeant, aduerſus res ab illis abalienatas, & ex ſpeciali generalive hypotheca ipſis obnoxias, in quibus (vt dictum eſt) antiquius quàm alij creditores ius habent, actionem mouere poſſint. Exiſtimamus enim, quæ prædicto argentariorum corpori, & qui cum ipſis contrahunt, conceduntur, in communem [h] ſe beneficentiam extendere: ideoq; quod illi non paucis quibuſpiam, ſed omnibus fermè quæ in vniuerſa republica fiunt contractibus miniſterium præſtent.

### CAP. V.

HOc quoque illis ad petitionem ipſorum concedere viſum eſt, vt quando dicam aliquibus impingunt, & ad promiſſionem decimæ [i] partis adiguntur, ne ab illis fideiuſſiones exigantur, ſed ſufficiat ipſorum hac de re factum promiſſum: quippe qui digni ſint quibus

per

---

Notes in the left margin (p. 383):

[a] i. anno 536.

[b] ἀργυροπρατικῶν συναλλαγμάτων, *Scrimg. adde edictum* 9. ꝗ. *eo*: & *Nouel.* 136.

[c] Iuſtinianus in eo diſſimilis eſt Caligulæ. Is enim ſolebat queri de conditione ſuorum temporum, quòd nullis calamitatibus publicis inſignirētur: Auguſti principatum clade Variana: Tiberij ruina ſpectaculorum apud Fidenas memorabilē factū: ſui obliuionem imminere proſperitate rerum. Atque idētidem exercituum cædes, famem, peſtilentiam, incendia, hiatū aliquem terræ optabat: *Sueton. in Caligula c.* 31.

[d] occaſio huius edicti.

[e] & meritò. nullum enim maleficium ſine formidine eſt: quia nec ſine conſcientia ſui *Tertullianus aduerſus Marcionem*. Conſcientia mille teſtes. *Quintilian.* 5. *Inſtit.* 11.

[f] Collegia argentarij habuēre *hic* & *cap.* 5. ꝗ. *eod*: *Edict.* 9. ꝗ. & *paſſim*, quod omnibus nō licuit *lege prima* ff. *quod cuiuſque*.

[g] Inficiator proprij chirographi, dupli pœna punitur.

[h] δημοσιεύεσθαι *Scrim.* Plerunque honeſtiores viri, licèt ipſi contrahant, ſeruorum quàm ſua nomina malunt inſtrumentis publicis inſcribi *l.* 5. §. 4. ff. *de auctor. tutor.* Ideoque rectè conſtitutum eſt lege penultima *Cod. de contrahend. ſtipulat.* vt ſi ſcriptum ſit, ſeruum feciſſe ſtipulationem, aduerſus eam ſcripturam teſtes non admittantur.

[i] medium tenendum *l.* 6. §. 3. ff. *de off. præſid*: *l.* 3. ff. *ſi pars hæredit.* §. 25. *Verſ.* & *poſt multa, Inſtit. de re. diuiſ.*

Notes in the right margin (p. 384):

[a] exceptionem non numeratæ pecuniæ Græci vocant ἀναργύριον *hic*: *adde Nouell.* 136. *c.* 5.

[b] *Nouell.* 49. *cap.* 2. *Nouel.* 73.

[c] τὸ ἄγραφον *Scrimger.* Interpres hîc legiſſe videtur ἰδιόχειρον. de quo in lege vndecima *Cod. qui potior.*

[d] hoc enim contractibus ſolet inſcribi, vt debitoris eiuſdémque hæredū bona creditoribus ſint obnoxia.

[e] φύσει. Argentarij, crediti nomine tacitam habent hypothecam.

[f] *Nouel.* 4.

[g] Argentariorum illud fuit, vt inexcuſſo reo cōuenirentur: fideiuſſores verò inexcuſſo reo non conuenirent. quod erat inæquale. Hodie, argentarijs licet pacto in ea re ſibi proſpicere *Nouel.* 136. *c.* 2.

[h] Argentariorum officium publicam cauſam habere dicitur *lege decima.* §. 1. ff. *de edendo*: *Nou.* 136.

[i] Decima, cuius fit hîc mētio, obſtringebantur ij qui calumnioſè agebāt §. 1. *Verſ. hæc autem Inſtit. de pœna temerè litigātium.* eáque actio erat ex ſtipulatu. Nam initio litis cauebat actor, *Ni vicisſet reo decimam præſtitum iri.* & erat repromiſſio, non ſatiſdatio vt ex Codice Hermogeniano *tit. de calumniatorib.* conſtat. Eam actionem decimariā non vtendo amiſſam reſtituit Iuſtinianus, eo addito, vt decimæ cautio ſatiſdationem habeat *Nouell.* 112. *c.* 2. qua lege hîc eximit argentarios. quibus agentibus, rei repromiſſione citra ſatiſdationem contenti eſſe debent.

per^a ſe credatur, quum ipſorum fides & pro alijs ſufficere exiſtimetur. Illud manifeſtum ſit, quòd ſi legi ſuccubuerint, nihil illis proderit fideiuſſorem non dediſſe: ſed nihilominus decimæ partis pœnam depenſuri ſunt, quemadmodum & qui illos in ius vocant, ipſis. Inſuper & qui ab illis in ius vocantur, ſimilibus pœnis ſubijcientur. Hoc vnum diſcrimen in hoc capite fuerit, quòd (quemadmodum iamiam dictum eſt) qui è collegio argentariorum actiones inſtituunt, fideiuſſorum datio in decima parte per ſpeciale noſtrum beneficium his condonata & remiſſa ſit.

a Idoneis creditur.

Cap. VI.

QVoniam verò quòd ſupplices ad diuerſa tribunalia ^b protrahuntur (idcirco quòd eorum qui cum ipſis contrahunt infinitus numerus ſit, &, vt contingit, pauci probi ſint & grati) nō ſolum ipſis damnum, verumetiam communibus rebus impedimentum inferri compertum eſt: etiam in hac parte priorem noſtram circa illos prouidentiam imitamur, ac iubemus vt ſpeciales illis iudices ſint, ſiue in ius vocent, ſiue vocentur, & prudentia tua ^c, & Petrus glorioſiſſ. ſacrarum noſtrarum largitionū comes, conſularis, & patricius, vt apud vtrumque horum mouendæ inter ipſos & alios qualeſcunq; controuerſiæ, aut etiam apud iudices antehac à nobis illis datos ac deinde defunctos iam motæ, examinentur, atque breui finem, qui noſtris legibus conueniat, capiant: & ſupplices prætoriorum vexatione liberati, officio & rebus ſuis vacent: tantoq; candidius & libentius ſubditorum contractibus operam nauent, quanto minore improbitate & ingratitudine tentantur, aut qui improbi eſſe conantur, iniqua illis damna inferre non ſinuntur.

b de foro cōpetenti argētariorum.

c Præfectum vrbi intellige *arg. edict. 9. 3.*

Cap. VII.

POrro poſtquam & aliam nobis doloſorum hominū fraudem expoſuerunt, denuntiantes quomodo quidam à dicti collegij argentarijs pecunias mutuati aut mutuantes, emerint aut emant poſſeſſiones immobiles ſuarum vxorum aliorumve quorumpiam familiarium nomine, quò videlicet generalem illam acquiſitorum acquirendorumq; bonorum oppignerationem circumſcribant: nonnulli etiam quæ ſibi debentur, à debitorib. aut in pecunijs, aut omnino in immobilibus rebus recepturi, non in ſuam perſonam, ſed (quemadmodum dictū eſt) aut vxorum, aut cognatorum iſtiuſmodi ſolutionem, ceſſionem, aut venditionem faciendam curent, quò per iſtiuſmodi rationem inopiam prætendere poſſint: ipſi verò qui ex dicto argentariorum corpore de illis benemeriti eſſent, hos quibuſcum contractum iniſſe non videantur, in ius vocare nequeant: in hoc quoque capite parem munificentiam argentarijs, & qui aduerſus ipſos ſimiles controuerſias mouent exhibentes, iubemus, vt^d ſi debitorum quempiā dolo feciſſe quominus res ſuas poſſideat, aut ius ſuum clàm in alium tranſtuliſſe demonſtretur, liceat actoribus in rem, aliáve legitima actione id factum eſſe oſtendere, aduerſuſque dictas res, quaſi debitoris ſint procedere, & vndique, technis pulſis, indemnitati ſuæ & in debito & in hoc facto expenſis conſulere. Eam autem prudentiæ tuæ memoratique glorioſiſſ. viri diligentiam eſſe ſcimus, vt iam motas, nondum autem finitas, aut in poſterum etiam mouendas controuerſias ita dijudicaturi ſitis, vt neque ſupplices ex debitorum improbitate aut fallacia iniuſtum diſpendium ſubeant: neq; innoxij ex iniquis obliquiſq; commentis importunas euerſiones ſuſtineant. Ita verò etiam, vt quæ nuper ipſis petentibus præbita ſunt, rata & inconcuſſa maneant, & quæ per præſentem ſacram noſtram pragmaticam formam liberaliter conceduntur, ad mentis voluntatiſque noſtræ ſcopum perficiantur: qui hoc agimus, vt omnes ſubditi recte & non captioſe in negotijs verſentur, & quibus^e debetur, quòd miniſterium reipub. negotijs præbeant, quieta vita fruantur, ac neutiquam per improborum machinationes iudicijs, quæque inde manant difficultatibus & diſpendijs implicentur.

d V. *Nouell. 136. c. 3.*

e ὀφείλοντας ſed familiare eſt Iuſtiniano hoc verbo vti pro *ὀφειλομένοις.*

Cap. VIII.

CÆterum quod in quoque dictorum capitum ſpecialiter poſuimus, id in orationis obſignatione & fine generaliter ponere viſum eſt, vt in omnibus prædictis his qui in prædicto argentariorum corpore recenſentur, eorumq; hæredibus & ſucceſſoribus^f, *tum etiam illis qui cum ipſis contrahunt, ac eorum hæredibus & ſucceſſoribus*, in quibus *rebus* aduerſus argentarios actiones mouent, æqualia^a priuilegia ſint. Conuenit enim, vt vtraq; pars eam ſimplicitatem integritatemq; in contractibus ac negotijs ſuis ſeruet, quam ſibi ab altera ſeruari velit.

f *l. 3. §. 5. ff. quod quiſque iur.*

a Quod quiſque iuris in alium ſtatuerit eodem vtatur *l. 1. l. 3. ff. quod quiſque iu: l. 3. in f. ff. mandati: l. 7. Cod. de reſcindenda.*

1 ¶ His demum per præſentem ſacram noſtrā pragmaticam formam iuſſis & hoc addimus, vt prudentia tua^b omnéſque magni magiſtratus eos qui in prædicto collegio recenſentur, iuuent, vt ſiue per edicta, ſiue per literas, ſiue per alium quemcunque conſuetum modum ſeruato iuris ordine competens ſubſidium conſequantur, poſſitque illis aduerſus improbos ſuccurri, neque cogantur & ipſi aduerſus alios improbi eſſe, ſed æquos atque bonos ſe illis, qui cum ipſis contrahunt, exhibeant: quippe quū id noſtrorum temporum bonitati vniuerſæque reip. contractibus, quorum præcipui quique & maximè neceſſarij ſemper per prædictum collegium fiunt, conueniat.

b Præfectum vrbi alloquitur *arg. edicti 9. 3.*

EPILOGVS.

¶ Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram pragmaticam declarantur formam, prudētia tua, & quicunque alius reip. noſtræ iudex firma ſeruato. Supplicib. verò hanc ſacram pragmaticam formam in quocumque iudicio, & maiori & minori, producendi, illamque recipiendi, ac inde ſubſidium conſequendi facultas eſto: vtpote quæ tantam in præſenti propoſito & prædictis tractatulis vim habeat, quantam in alijs negotijs generales noſtræ leges obtinent. Dat. 5. Kal. Mart. Conſtantin. Imp. Dn. Iuſt. PP. Auguſt. Anno XVI. poſt^c Baſil. V.C. Conſ.

c i. anno 542.

## DE PONTICI TRACTVS VICARIO^d.

### Edictum VIII.

Idem Imperator Baſſo glorioſiſſ. ſacrorum prætoriorum præfecto.

### PRÆFATIO.

SVFFECTVROS ciuiles magiſtratus Pontici tractus prouincijs exiſtimantes, præpoſitum quondam illis locis vicarium medio poſt tēpore inhibuimus†: nihil eorum quæ poſtmodum ab illis facta ſunt, commiſſum iri expectantes. Atqui poſteaquam ex rerum experientia cognouimus, in prouincijs hiſce homines habitare latrocinijs & cædibus innutritos, & homines* ferentes ſemper* congregantes &* armis vtentes* * & his, effugiuntque in has res conſtitutas pœnas, dum prouincias in quibus deliquerint, deſerunt, neque prouincialium magiſtratuum quiſquam ex attributa ſibi prouincia egredi audet: vt nos etiam, quanquam perſæpe homines in prouinciam emiſerimus, ſiſcumque ſtipendijs grauauerimus, nihil tamen amplius effecerimus, quòd ad manum is magiſtratus non eſſet, qui auxilium ferre, & iſtiuſmodi inſolentiam reprimere poſſet.

d reſtituto ſc. quemque antea ſuſtulerat Iuſtinianus: eò mutato in Comitem Galatiæ *Nouell. 8. c. 3.* Vicarius ergo Pontici hic reſtituitur, cui datur iuriſdictio in vniuerſum tractū Pōtice diœceſeos. Quot Vicarij in Oriēte fuerint, *vide l. vlt. Cod. de diuerſ. off.*

† & ita abrogatur *Nouella 8. c. 1.*

Cap. I.

REuocare vicarij magiſtratum viſum eſt, & Galatiæ^e primę magiſtratu *ad priſtinum ſtatum redacto*, vt nō niſi ciuilis ſit, quemadmodum ante erat quam nos illum, ſublato vicarij magiſtratu, dignitate annonáque maiore decorauimus: vicarium denuò omnibus Pontici tractus prouincijs præficere: *ita*^f *Verò* vt non ſolius præfecti locum adimpleat, verumetiam glorioſiſſ. magiſtri ſacrorum noſtroru officiorum, glorioſiſſ. etiam ducum, magnificentiſſ. denique *eorum* magiſtratuū qui ſacro noſtro patrimonio, cubiculo etiam, & domeſticis protectoribuſque præfecti ſunt: deinde iſtiuſmodi poteſtatem habeat qualem cuiuſque prouinciæ magiſtratus in ſua prouincia habere ſolet: vt neque per dignitatem neq; per ſacerdotium^g, neque per cingulum, neq; per militiam, neq; demum per quodcunque aliud quiſquam huius iuriſdictioni eximatur: ſed ad conſimilem modum omnes illi ſubſint, ſiue plebeij ſint, ſiue etiam cingulo, dignitate, militia, aut ſacerdotio etiam decorati fuerint: idque non in criminibus ſolùm, (non enim militarem tantùm hunc magiſtratum facimus) verumetiam ſi quis de re pecuniaria litem inſtituere velit. Omnibus etenim hominibus, omnimodiſq; rebus magiſtratum hunc communem facimus. 1 ¶ Reddimus autem illi, quod & antea habuit, ſacrum^h auditorium, vt controuerſiæ in aliqua Pontici tractus prouincia prouocatione ſuſpenſæ, dummodo quingentos aureos non exuperent, non in fœlicem hanc

e Galatiæ primæ ſuus redditur Conſularis ciuilis magiſtratus.

f Vicarius Pontici tractus, ciuili & militari magiſtratu fungitur, vicem agens pluriū magiſtratuū.

g Sacerdotes ſubeunt forum ciuile.

h θεῖον ἀκροατήριον.

vrbem deduci, ſed apud ſeipſum ad ſacrarum formam examinari debeant, ſiue ex ipſa ciuilium magiſtratuum iuriſdictione *prouenerint*, ſiue etiam ex ſententijs cuiuſpiã magnæ huius vrbis magiſtratuum, aut ex noſtra iuſſione motę ſint. Nemini verò poteſtatem facimus, vt poſtquam prouocatione ſuſpenſa[a] controuerſia mota fuerit, altera[b] prouocatione vtatur. At ſanè ſi qua controuerſia ab initio apud illum cœpta ſit, eámque prouocatio conſecuta fuerit, procedet prouocatio quemadmodum ſolebat, antequam magiſtratſtm vniſſemus, tanquam ſi medio tempore nihil noui interueniſſet. Quod ſanè & in Galatiæ præſide iubemus: quem ſimplicem[c] denuò magiſtratum facimus, quaſi in illo nihil medio tempore innouatum eſſet.

## Cap. II.

FAcultatem etiam huic[d] vicario damus, vt[e] à vicina hac Bithynia incipiens, vſque ad Armenios ipſos, Trapezunta etiam, & noſtræ reip. Perſas verſus fines, in quamcunq; Pontici tractus prouinciam velit, proficiſcatur: vt velut ab initio ac primario quæ hucuſque commiſſa ſunt, competentibus pœnis perſequatur: (quorſum ſanè & gladij ius illi cõcedimus) pręcipuè verò milites adoriatur, ſi qui deſertis[f] ſtationibus ſuis iſtiuſmodi ſe nequitiæ dediderint. Et ſi quidem criminibus obnoxium quẽpiam inuenerit, hunc cingulo priuet, qualecunq; etiam habeat: non expectans donec eum magiſtratum ſub quo is militat, ea de re certiorem fecerit, tanquam qui iſtius magiſtratus locum adimpleat, & in omnes omnino ius & poteſtatem habeat. In quæuis etiam loca & latifundia, ſiue ad ſanctiſſ.[g] eccleſias, aut ad religioſa pertineant monaſteria, ſiue etiam ad ſacra noſtra priuata, aut ad ſacrum patrimonium, aut etiam ad noſtram domum, aditum illi & introitum concedimus: & (vt ſimpliciter loquamur) nullum omnino locum ipſius iuriſdictioni eximimus.

## Cap. III.

INſpectabit verò etiam militares tranſitus, an ſatis ordinatim procedant: & ſi quicquam in illis committi inueniat, id corriget tum milites ipſos caſtigando, tum etiam ſubditis noſtris, in quibus iniuria affecti fuerint, ſatisfactionem curando. Poteſtatem item concedimus, vt armis[h] priuet qui illa ad nullam militiæ neceſſitatem habent, illáque omnia in publica magnæ huius vrbis armamentaria inferat. 1 ¶ Inhibebit etiam adulteria, homicidia, latrocinia, præcipuè verò mulierum raptus, rerum ereptiones, infeſtationes etiam & vim, denique vniuerſum iſtiuſmodi delictorum cumulum, tanquam id præcipuum à nobis illi aſſignati magiſtratus caput ſit. Refrænabit quoque iniurios, ſiue ſacerdotes, ſiue magiſtratus ſint, ſiue etiam nobiles, ſiue plebeij: neq; cuiquam quod leges noſtræ non probẽt, facere permittet. 2 ¶ Suſtinebit autem controuerſiarum & examinationes & diiudicationes, habebitque propriam cohortem virorum vicarianorum ſeptuaginta[i], qui per ſacra noſtra probatoria ſtipendia facient, quæ ex illo ſcrinio præbebuntur ex quo & olim ſolebant quum vicarius eſſet. Reddimus illi mulas[k] etiam, quot quõdam vicario aſſignatas, nunc prouinciæ præſes in vſus ſuos & miniſterium percepit. Quum enim hic aliud nihil quàm ciuilis magiſtratus ſit, ſuperfluus ipſi illarum vſus eſt: ſpectabili verò vicario, vt qui hac illac circumcurſare debeat, neceſſarium illarum miniſterium eſt. 3 ¶ Obediet[l] verò ipſi vniuerſus in illis locis conſtitutus exercitus, dictóq; illi audientes erunt domeſtici & protectores, ſcholares etiam & milites: ita vt præſidali mandato noſtróve iuſſu non indigeant, ſed ipſi iure magiſtratus obedientiam miniſteriúmque præſtent. Præſtabunt autem miniſterium quo loco degunt, extra quam ſi qua iuſta ineuitabiliſq; neceſſitas, maioris auxilij indiga, ipſum huc adigat, vt ex vno loco in aliũ transferre *ipſos* neceſſe habeat. 4 ¶ Vtetur porrò præconis voce[m], & lampadibus[n] quatuor, quippe cùm in hanc rem ſumptus à nobis conſtitutus ſit: quin & alijs omnibus, quæcumque ciuilis ſimul & militaris magiſtratus ſunt, inſignijs. Vnde ad glorioſiſſ. noſtrorum ducum imitationem, & ad reſponſum[a] miniſtrare illi iubemus: per quos milites, ſi quando ita tempus poſtulabit, compeſcet, & in neceſſarijs rerum miniſterijs ac officio continebit. Quantum verò illi, aſſeſſori quoq; eius, & cohorti annonarum nomine aſſignauerimus: quantum etiam de reliquo Galatiæ primæ præſidem pro ſe, aſſeſſore ſuo, & obediente ipſi cohorte habere oporteat: item quantum ipſum aut in ſacro noſtro palatio, aut in religiſſ. præfectorum prętorio pro magiſtratus codicillis dare cõueniat, per ſubiectã deſcriptionem omnibus fiet manifeſtum. Hunc autẽ nos magiſtratũ illis locis reddimus, vt ijs qui iniuria afficiuntur in promptu auxilium eſſet, omnéſq; qui in illis locis habitant, quibus hactenus preſſi ſunt difficultatibus liberarentur: & verò quiete ac recta legum moderatione fruerẽtur, magiſtratuum opera quos tales illis locis præfecimus, vt ad omnem iniuriam ac aliena inuadendi cupiditatem reprimendam ſufficere queant.

## EPILOGVS.

¶ Hęc igitur glorię tuę manifeſta facere viſum eſt, quò ipſa cognoſcens quid hac de re nobis nunc placuerit, id in omne deinceps tempus obſeruet: & quemadmodum in ſubiecta à nobis deſcriptione comprehenditur, annonas illi præbeat. Dat. 15. Kal. Oct. Conſt. Imp. Dn. Iuſt. PP. Aug. Anno XXV.[b] poſt Baſil. V.C. Conſ. anno VI.

## DE ARGENTARIORVM CONtractibus[c].

### Edictum IX.

Imperator Iuſtinianus A. Triboniano Præfecto vrbis.

## PRÆFATIO.

COMMVNE collegij[d] argentariorũ qui in hac magna vrbe ſunt, libello ſupplici à potẽtia noſtra petijt, vt ſupra alia omnia quę ipſis munificè largiti ſumus, alio nũc etiã modo ſibi opitulari velimus. Expoſuerũt autem quomodo nonnulli, quum debuerint, aut etiã debeant, quando pecuniæ aut res ab ipſis repetuntur, quòd ſoluendo nõ ſint, à ſe petant vt puras ſponſiones pro ipſis ſubeant: & aliàs quidẽ hoc ipſum in obligatorijs ſchedulis conſcribant, aliàs verò, propter contrahentis fidem, & ſine ſcripto hoc facere ſibi mandent: ipſi autem, illorum petitionibus cedentes, ijs qui illis moleſti ſunt, certum tempus conſtituant, intra qđ ſponſor omnino debitum transfundat: ſe *itaq; ad hunc modum* illis ſpondere, ac deinde ad diem liberaliter ijs qui ſponſiones ſuſceperunt ſatisfacere: debitores *autem interea*, quaſi per ſponſiones ſatis cauerint, aut mutui fortè ſyngraphas obligationiſq; ſuæ ſchedulas recipere, aut apochas capere. *quomodo item* multi quum parare ſibi rem aliquã voluerint aut velint, ſibi mandent vt pro ipſis pecuniam aut rem aliquam ſe daturos ſpondeant: & illis quidẽ quod affectarint, obtingat: ipſi verò promptè pecunias aut res transfundant. *deniq; quomodo quum* ita ſimpliciter mandantibus illis ſpõſiones fiant, pecunias tamen aut res non aliter ſoluere velint quàm qui ſponſionẽ accepit, pecunias aut res oſtendat, aut eas *ſe* accepiſſe probet. *Vnde, quum* ipſi pecunias aut res dederint, quòd illi probationes, pecunias aut res datas eſſe depoſcant, poſtmodum contentionibus ac cõtrouerſijs irretiantur. Quæ res ſimul in præteritis, ſimul in futuris ſanè quam perplexa illis eſt & formidabilis, imò & impoſſibilis. Quis nam eorũ enim, pro quibus aut pecuniæ aut res ſponſæ fuerint, vel ſpondentur, *quando is cui ſponſa fuerint*, quæ data ſunt oſtendere, aut ea ſe accepiſſe, apud acta probare *debeat:* ad eam *tergiuerſationem* deuenire non velit? *Ac idcirco* perſæpe ſe fatigatos alijs cedere actiones: neq; hæc ſibi actionem intendentib. opponi ſolùm, verumetiam quib. actiones ceſſæ ſunt aut cedũtur. Ac *verò* petierunt, vt ab hac difficultate liberentur: vt etiam ſi quidem *nulla* omnino *appoſita conditione* purè mandatũ factum ſit, aut fiat, vt pecunias aut res intra certum tempus transfundant, ſimulátque præfinitum temdus elapſum ſit, mandator ſibi, & quib. a ſe actiones ceſſæ ſunt, aut etiam ceduntur, ad debiti perſolutionem teneatur:

[a] Proprium appellationis eſt, litem ſuſpendere.
[b] V. l. vn. Cod. *nihil nouari appellatione interpoſita*.
[c] ac ciuilem.
[d] Pontico.
[e] Tractus Põticus qualis.
[f] de deſertoribus V. l. 3. l. 4. l. 5. *ff. de re militari*.
[g] Eccleſię nõ ſunt immunes à iuriſdictione ciuili.
[h] *adde Nou. 85. c. 4.*
[i] cohors vicarij Pontici.
[k] quibus fortè vtebantur ad curſum publicum.
[l] Obedientia magiſtratib. debetur *Nouell. 69.*
[m] *κήρυκος φωνῇ Scrim.* .i. præconẽ intelligit. Præco, vox legũ, vt & carnifex manus legũ. qua de re dixi ad *Nouell. 69. c. 3.*
[n] *λαμπάσι Scrimg.* Lampadariorum meminit Nouella 41. & Iulianus cõſtit. 38. *num.* 171. Lampadarij fortè hîc dicuntur, quòd ignẽ præferrent, quemadmodum & alio ſenſu lãpadarij dicũtur in lege vltima *C. de diuerſ. offic.* qui in ſacris ſcrinijs faces ſiue lampades accendebãt. De lampadarijs edidit Theodoſius Nouel lã quã amiſimus. Ignis certè præferendi ante reges Perſarum mos antiquus, Xenophon 8. mos deinde ad Romanos promanauit. Herodianus enim *in Commodo*, refert Commodum ſorori ſuæ Lucillæ honores ſeruaſſe. Nam & in theatris ſella imperatoria ſedebat *καὶ τὸ πῦρ προεπόμπευεν αὐτῆς*, .i. & ignis eam præcedebat. Idem, de Marcia Cõmodi concubina, omnia vt Auguſtæ adfuiſſe *πλὴν τοῦ πυρὸς* præter ignem. & de Pertinace. Venit in Senatum (inquit) *οὔτε τὸ πῦρ ἐάσας ἑαυτοῦ προπομπεῦσαι*. & in Marci Antonini vita dicitur fieri poſſe, vt qui in aula viuat *μήτε δορυφορήσεως χρήσειν, μήτε ἐσθήτων σημειοτάτων, μήτε λαμπάδων*. id eſt, ſtipatoribus non vtatur aut veſte inſigni aut Lampadibus. Lucernas quoque à Gentilibus accendi ſolitas in ſolennitatibus Cæſarũ Tertullianus ſcribit *c. 34. Apologetici*. Grande videlicet officiũ, inq̃t, focos & choros in publicũ educere. *et poſt*, Cur die læto non laureos poſtes obumbrem[o], nec lucernis diem infringimus. *&* 2. *ad Vxorẽ*, procedit de ianua laureata & lucernata.
[a] de adreſpõſo ſæpe alias dixi.
[b] id eſt 551.
[c] V. *Edict. 7. ſ. eod.*
[d] Collegij argentariorum fit mẽtio *edicto 7. c. 2. ſ. eo.*

tur: idq; non ſolùm ſi hoc interueniente ſcriptura mandauerit, verumetiam ſi ſine ſcripto totum negocium confectum ſit.

Cap. I.

NOs ergo ſuccurrere iſti rei volentes (cum omni æquitate tamen & iuſtitia, atque vt in poſterum omnibus citra periculum hęc procedant) ſtatuimus, ne aliter [a] ipſi ſpõſiones ſubire velint quàm ſcripto comprehenſum de his mandatum ipſis detur, quod quomodo quanque rem fieri oporteat, luculenter explicet: ne ex bona *ſcilicet* fide in euidens exitium manifeſtè incidant. Verùm ſi quo modo ſcriptura non interueniente mandatũ factum ſit, tempus autem determinatum ſit, & tacuerit per omne tempus ille pro quo ſponſio facta eſt, neq; querelam mouerit: decurrat verò etiam cõſtitutum tempus, neque tum demum intra alios duos menſes hoc ipſum in querelam deduxerit: omnibus modis mandator ſoluat ſponſori debitum, quod ex ipſius voluntate ab aliquo eorum qui argentariæ menſæ præpoſiti ſunt, ſponſum eſſe conſtiterit: & neque ipſis, neque ipſorum hæredibus, aut quibus ceſſę ab ipſis ſunt vel ceduntur actiones, iſtiuſmodi quiddã opponi queat: ſed illud obtineat quod mãdati oſtenderit tenor: qui quidem ſi literis compræhenſus ſit, literas iudex ſequetur. ſin in literas contractus relatus nõ ſit, probationibus ea de re ſecundum leges prolatis inſiſtet. Atque hæc quidem teneant, & in iam factis ad hunc modum, & in faciendis etiamnum ſponſionibus.

[a] Cautio argentarijs vtilis, ſicubi pro alio ſpondere velint.

[b] ϑεραπειῶν *Scrimg.* Vtcũque ſponſio gratuita eſſe debeat, poſſunt tamẽ argẽtarij à ſuis debitorib. aliquod officiũ exigere.

[c] Probationes fiunt, vel ſcripto vel teſtib.

Cap. II.

SI quis verò ipſis interueniente ſcriptura, aut ſine ea, famulatus [b] promiſſus fuerit, aut promittatur, probatio verò aut ex ſcripto, [c] aut teſtium fide ſufficiens & legitima producatur, hunc ſuam vim obtinere volumus, & vt quod pacto cõuenerit, exigi poſſit, ita vt nulla prorſus lex obſiſtere queat, quaſi [d] id gratis & non pro mercede fieri oporteat: propterea quod omnis [e] illis ex eo viuendi facultas pendeat, quòd vſuras pendant, quod mercedem pro habitatione dent, & velut propugnaculũ communis vtilitatis ſint: vt ne damnum ſentiant, neq; alimonia deſtituantur, ſed hanc habeant ſuorum laborum conſolationem. 1 ¶ Sanè ſi vel rationes, vel mutuas [f] ſyngraphas, vel propriæ [g] manus ſcripta quæpiam ediderint, edántve, aut ipſi illis qui cum ipſis cõtrahunt, aut illi ipſis, in quibus pecuniarum illatio & ſolutio deſcripta ſunt, quæque ipſius menſæ præpoſiti, ipſius etiam amanuenſis, (quos Samaritanos [h] vocant) & eorum rurſum qui cum ipſis contraxerunt, literas præferunt, aut per omnia illius qui cum ipſis contraxit, manu ſcripta ſunt, ſubſcriptionémve habent: non poterunt qui cum ipſis contraxerunt, pecuniarum quidem illationem, quam argentarij in cõmentarijs aut à ſe ſcriptis breuibus deſcripſerũt, agnoſcere, atq; inde in ipſos exactionem conſtituere: expeditionis verò ſolutioniſq;, tanquam facta non ſit, deſcriptionẽ refellere. neque rurſum poterunt argentariæ menſæ præpoſiti ſolutionem quidem exigere; illationem verò non agnoſcere. 2 ¶ Verùm ſi aut ex antiſyngraphis, aut ex ratiocinijs, aut ex propriæ manus ſcriptis probetur & de illatione & de ſolutione literarum veritas, vtrumq; omninó firmum & ratum erit: neque vnum quidem aduerſus ipſos obtinebit, alterum verò pro ipſis irritum fuerit. exigetur autem quantum ratiocinia perhibebunt: niſi alterá aut vtraq; pars in calculo [i] ſe erraſſe, aut in vſuris [k] diſpendium ſuſtinuiſſe demonſtret: Si enim tale quiddam euidenter commonſtretur, id, quò quiſque iuſtitia & ęquitate fruatur, correctione dignandum eſſe ſtatuimus.

[d] Ratio dubitãdi ex eo naſcitur. Spõſionis officium gratuitum, ergo vitiabitur mercedis adiectione.

[e] Argentariorum vita quæſtuaria.

[f] ἀντισυγγρά φους.

[g] αὐτογρά φους.

[h] σαμαρείτας. Extat nouella Iuſtiniani de Samaritis 129. 144. vt & inter nouellas Iuſtini. 5. fit etiam Samaritanorũ mentio in lege 12. lege 17. 18. 19. 21. *C. de haeret.* Sed nihil ad argẽtarios ſuperiora pertinẽt. Veriſimile eſt Samaritanos vſuræ exercendę peritos fuiſſe, vt que induſtrios, argentarijs operam nauaſſe.

[i] Error calculi, veritati nõ affert pręiudiciũ *l. vn. C. de errore calculi.*

[k] In vſuris diſpendium ſuſtinet, qui lege maiores vſuras perſoluit *l.* 26. §. 1. *l.* 27. *Co. de vſu.*

Cap. III.

HOc verò etiam nos docuerunt, quomodo quidam illorum, poſtquam à pluribus aut vice mutua inter ſe fideiubentibus, aut alijs pro alijs mandantibus, obligationis confeſſiones abſtuliſſent, deinde debiti longè maximam partem percepiſſent, vt reliqua perquàm iã exigua eſſent, reliquorum nomine extrinſecus ab vno aut duobus illorum obligatione capta; quòd intra certum tempus iſthæc perſoluent, apochas fortè aut liberationis confeſſiones omnibus ediderint: & quum aut vnum aut plures eorum qui reliquorum obligationem ſubijſſent, mori contigiſſet, hæredes quæ ab illo aut ab illis pecunię pacto promiſſæ eſſent, eas exoluere noluerint. Statuimus igitur, vt ſi hæc ita ſeſe habeant, quæ pecuniæ in obligationibus comprehenſæ ſunt, & quas defunctus aut defuncti ſcripto pacti fuerint, hæ ab hæredibus [a] cum pactis vſuris exigantur.

[a] Hæredes debitoris vſurarij tenentur ad vſuras *l.* 6. *ff. de vſur.*

Cap. IIII.

QVòd ſi qui datis pignoribus ab illis mutuati fuerint, aut mutuentur, deinde etiam in mutui ſyngraphis permiſerint aut permittant [b] vt pignorib. pro ipſorum bona fide diuenditis, eorũ precium in debiti ſolutionem imputaretur: [c] ipſi verò hoc fecerint: ne moleſtijs illi implicentur, neque propter hoc negotia ſuſtineant: ſed iuratis quanti pignora vendiderint, credatur, idque ipſis ad omnis improbitatis abolitionem ſuppeditet. At ſi quis non interueniente ſcriptura mutuatus, pignora obſignata aut non obſignata det, neceſſe habebit qui mutuatus eſt, vt aut pignora recipiat, agnoſcens [d] ſigilla: vel ipſa etiam pignora non obſignata, & adimpleat ſortem pactaſq; vſuras: aut ſi pecunias non habet, ad iuſtã æſtimationem illa relinquat, & reliqua expleat, neq; dicere poterit, pignoribus, quanquam minus [e] valeant, creditorem contentum eſſe oportere: ſed omne debitum q̃d cum pactis vſuris in rationem deductum fuerit, omnibus modis adimplebit. Si verò datis pignoribus, ſiue obſignatis ſiue non obſignatis, mutuationi tempus præfinitum ſit, ac intra id non ſatisfiat, tantúmque elabatur alterum: liceat ipſis, præſentibus [f] tabularijs, ſacriſque eloquijs in medium propoſitis, & æſtimatoribus adhibitis, diligẽti æſtimatione facta illorum precium conſtituere, ac ſiue ad plenum debitum ſiue ad eius aliquam partem ſufficiant, ſibi imputare atque aſſignare.

[b] Permittere argẽtario debitor poteſt, vt pignora citra ſolẽnitatem vendat; pretiumque venditionis redactum ſorti imputet.

[c] quod ex prẽcio pignoris venditi creditor capit, in debitum imputare tenetur. Precium pignoris acceptum, ſorti imputatur.

[d] nota genus actionis eò pertinens, vt debitor ſigillum ſuum agnoſcat.

[e] Ad iuſtam quantitatem ſortis & vſurarum ſæpe debitores pign° dare ſolent. interdum pignus ſortem exuperat, interdum non exuperat. Quemadmodũ ergo q̃d ſupereſt non cedit lucro creditoris; ita ꝙ deficit, nõ cedit in eius detrimentum *l.* 8. *in f. Cod. ſi certum.*

[f] coniunge *legem* 1. §. 36. *ff. depoſiti.*

Cap. V.

HVic ſanè etiam medicinam adhiberi cupierunt, vt quoniam [g] mutuò & dando & accipiendo, pro alijs etiam ſpondendo, & denique vſuras pendendo vitã tolerent, ne ipſis in mutuationibus noſtra opponatur cõſtitutio [h], qua nemini vltra duplum accipere quicquam permittimus, ſiquidem quantum ſors & vſuræ faciant, perſolutum ſit. Nos igitur in poſterum eam legem omnino violari nolumus. quod verò præceſſit, quia nondum inſidijs obnoxium ſit, huic ipſis medentes, ſancimus vt in contractibus qui reuera argentariorum ſunt, ad hodiernum diem factis, facultas ipſis ſit, vt licèt in ijs debitis vſuræ ſupra duplum datæ ſint, nihilominus tamẽ quæ debentur cum conſtitutis vſuris exigant: ita vt neque in vſuras, neque in primitiuum debitum, quæ ſupra ſortem iam ſoluta ſunt, imputare compellantur: & ne ipſis in hac ſpecie & quidem ſola noſtra de duplo conſtitutio obſtet, quo minus ſecundum contractuum naturã hæc exigant. Verùm neq; ipſi aduerſus eos qui cum ipſis iam contraxerunt, noſtra conſtitutione abuti; neque imputare poterunt ſolutas iam vſuras aut duplo vſurarum, aut primitiuo debito.

[g] Vita argentariorum in quibus conſiſtat.

[h] *Nouell.* 138.

Cap. VI.

QVandoquidem verò poſtquam argentariæ menſæ præpoſitis, excepta [i] armatã militia, cum omnibus alijs militijs in hac alma vrbe commercium inſtituere permiſimus: illiq; deinde quum mutuum dediſſent, aut etiam darent, beſſales [k] vſuras (quantas argentarijs conceſſimus) ſtipulati ſint: hi liberaliter hoc ipſis opponant, quòd dicant, ipſos non quæ argentarijs, ſed quæ militantibus conueniant, vſuras capere oportere: hanc eorum iniquam & improbiſſimam obiectionem vacare, nulliúſque momenti eſſe, & quæ pacto conuenerint, aut etiam conueniant, obtinere volumus. 1 ¶ Neque verò id nobis placet quod de argentariorum contractib. nonnulli petunt, vt omnino non dentur aut ſortes aut vſuræ, vel id (quod ijs etiam peius eſt) vt quæ legitimæ vſuræ dãtur, ſorti imputentur: Etenim hoc quoq; in contractibus qui cum argentarijs initi ſunt aut ineuntur, obtinere volumus.

[i] Argentarijs vrbanis interdictum commercium cũ militibus armatæ militiæ.

[k] Argentariorum vſuræ beſſales.

Cap. VII.

VNum certè & hoc eorum eſt quæ illi inter ſupplicandum propoſuerunt, quòd perſæpe nonnulli qui ipſis obnoxij ſunt, quũ illi alios obnoxios habeant, ab iſtis ſibi non ſatisfaciant: ſed id ſuis vxoribus [l] ſoluendum, prętextu dotis, eorúmve quæ præter dotem data eſſent, aut aliorũ etiam debitorum, ab iíſq; apochas ſiue ſolutionis probationes ferendas curent: & quod quum illi ad inopiam deuenerint aut deueniant, vel mortui ſint etiam, aut poſtmodum moriantur: ipſi verò tum debitum

[l] edicto 7. c. 7. §. *eod.*

accipere velint: vxores, licèt latenter illa acceperint, aut poſtea accepturæ ſint, integra tamen ipſis debita opponant, vt ipſorum prorſus omnis ſpes concidat. petierunt autem, vt ſi quid iſtiuſmodi factum ſit, aut poſthac (vt cõſentaneum eſt) fiat, neceſſe habeant qui apochas liberationemve à mulieribus acceperint, aut etiam ſi quis contractus factus ſit, aut omnino faciendus eſt, hæredibus ad probationem eorum quæ geſta ſunt *deuocatis*, *eas* eúmve proferant, ne vxores, quibus nihil debetur, emolumentũ ſentiant: ipſi vero quibus debetur, defraudentur. Statuimus *nos verò*, vt ſi tale quippiam factum ſit, aut fiet, neceſſariò illi inſtrumenta proferant: attamen abſq; omni ſuo incommodo, & vt nullum damnum ex prolatione ſuſtineant: (memores enim ſumus noſtræ [a] cõſtitutionis, quæ adactas literarũ, ex quibus quis ius quodpiam ſuum tueatur, prolationes innoxias [b] ijs qui proferunt, eſſe vult) ſed proferant illi quidem inſtrumenta, & recipiant. Et ſi quidem inde aliquam vtilitatem qui aduerſus mulieres prolationem fieri coegerint, habere poſſint, hanc ſecundum legem ex ipſis ſentiant: nullóq; prorſus damno, qui protulerint, ob prolationem afficiantur. 1 ¶ Quòd ſi mutuis ſyngraphis cum aliquo pacta, liberationes, aut etiam qualeſcunq; cõuentiones inſtituerint, aut poſthac etiam inſtituant, & quæ apud ipſos manſerint modo aliquo (qđ facile eſt) perierint: volumꝰ, vt qui aduerſarias ſyngraphas habẽt, eas proferre, aut ſe nihil iſtiuſmodi habere vel proferre poſſe, iuſiurandum dare cogantur. Quod iuſiurandum vbi apud acta monumentorum præſtitum fuerit, nõ vlterius illos moleſtia affici oportet. Nemo verò in *exigẽdis* ſportulis [c], iudicialibúſq; expenſis, pœnam quæ talia committentibus imminet, reueritus, conſtitutionis noſtræ modum tranſcendat.

[a] *l. vlt. Co. de fide inſtrumẽtorum.*
[b] Qui coactꝰ inſtrumentũ protulit, non eſt eo onerandus.
[c] *v. l. 1. l. vlt. C. de ſportul.*

Cap. VIII.

QVoniam deinceps quando petere ſemel cœpiſſent, hoc etiam petierunt, vt tua [d] excellentia curã ipſorum ſuſcipiat, quibuſq; ipſi controuerſijs impetuntur, eas audiat: & ſi quos obligatos habeant, aut alij ipſos, his velut peculiaris [e] iudex audientiam prębeat (propterea quòd exacta cura quæ ad leges pertinent, tractes, ac cuiq; ſuum ius tribuas, & facilè rationem inuenias qua quæ valde difficilia videntur, quæq; alij non aſſequuntur, nec intelligunt, diſſolui queant) ſancimus, vt ſecundùm ea quæ à nobis cõſtituta ſunt, & ipſos, ſiue actores ſiue reos, in peculiaris iudicis modum audias, & præterita ſecundũ hanc legem componas, & quomodo æquum eſſe videbitur, futuris curam adhibeas: vt legitimum quoddam ipſis ac decens à nobis accedat auxilium. Conuenit [f] enim, vt qui pro omnibus ſe obſtringunt, aut cuiq; vtiles ſe exhibere ſtudent, eximio etiam aliquo fruantur auxilio. Et certè quæcunq; & hoc tempore & olim, aut ex noſtris legibus, aut ex ſacris pragmaticis formis cõceſſa ipſis ſunt, illæſa rataq; conſeruantor: ac in ſpeciebus rerum iam geſtarum, atq; etiam gerendarum, locum habento.

[d] Præfectum vrbi alloquitur.
[e] Iudex argẽtariorũ competens, præfectꝰ prætorio. *Edict. 7. ca. 6. §. eod.*
[f] *περὶ ταξεω τῶν Scrimg.*
[g] *βυλευτῶν Scrimg.* id eſt, prouinciales decuriones.
[h] Iniqui apparitores iudicis, nõ fruũtur iure aſyli *facit Nouell. 17. c. 7. §. 1. Nouell. 128. ca. 13. l. 6. §. 4. Cod. de his qui ad eccleſias.*
[i] *τὸν καλὰ μενον λαμβάνοντα λόγον Scrim.* vt alibi *λόγον λαμβάνοντα Nouell. 123. c. 35. διδόναι τὴν καλυμένην πίςιν* Nouel. *5. cap. 2. §. 1.* ſacramenti interuentionẽ *l. 6. §. 4. Co. de his qui ad ſacras eccleſias. apres luy auoir donne parolle.* facit *Edictum 2. §. eo.*

EPILOGVS.

¶ Quæ igitur nobis placuerunt, ac per hanc ſacram pragmaticam declarantur legem, ea gloria tua, & quicunq; alius reipublicæ noſtræ iudex, firma ſeruato.

DE [g] APPARITORIBVS PRÆSIDVM.

Edictum X.

PRÆFATIO.

CVIVSMODI inſidias prouinciales apparitores [h] ſeu cohortales fiſco ſtruant per ſæpe ex ipſis rebus didicimus.

Cap. I.

POſteaquam autem & hoc vnum ipſorum audaciæ caput eſſe edocti ſumus, quòd fiſcalia inuolent, ac deinde in ſacris [i] locis ſe occultent, hac ratione meritas pœnas ſe effugituros exiſtimantes: ſtatuimus (id quod & Dei amantiſſ. prouinciarum epiſcopis ſcripſimus) vt ſi qui illorum in ſacra ſepta confugiant, in poteſtate tuæ excellentiæ ſit, vt hos ex illa prouincia exire, & in quocunque velis loco eſſe iubeas: hoc adiecto, vt Dei amantiſſ. epiſcopi neceſſe habeant, vt illos ex ſacris locis producant: vbi tamen fidem publicam acceperint, ſe ex illis locis vnde diſcedunt, ſine aliqua diſtortione à publicis miniſtris ad conſtituta loca ducendos eſſe. Ad hunc igitur modum in cohortales excellentia tua imperio vtitor. Illud ſanè etiã Dei amantiſſ. *epiſcopis & religioſiſſ.* ipſorum clericis interminati ſumus, ne è prouincia, data, [a] fide publica illos eijcere, & conſtituta loca cum fide publica ducere velint: *ob* ſacrorum autem fortaſſe locorum *priuilegium illos* illic morari *ſinant*: ipſos de ſuo, minimè verò de eccleſiaſticis prouentibus, fiſco indemnitatem præſtituros, neq; à ſacerdotij ademptione liberos futuros.

EPILOGVS.

¶ Tua igitur excellentia, quæ nobis placuerunt, quæq; per hanc ſacram pragmaticam exprimuntur formam, effectui ſimul & fini tradere ſtudeto.

VT PONDERATORES [b] ET MONETARIJ [c] apud Ægyptios quicquam pro obryzo [d] exigẽdi nullam de reliquo facultatem habeant: ſed, quemadmodum in magna hac vrbe, ita illic quoque ſignatum aurum æſtimetur: & illi ſigna pro pondere, quod in ſignatura ſeruatum eſt, imponant.

Edictum XI.

Idem Imperator Petro glorioſiſſ. ſacrorum Orientalium prætoriorum iterum præfecto, iterum etiam ſacrarum largitionum comiti, & exconſule.

PRÆFATIO.

QVOD obryzum [e] apud Ægyptios ſermone hominum celebre eſt, quod idem, ſuperioribus ſæculis quum prorſus incognitum fuiſſet, admodum nuper in Ægypto contractus inuoluere & turbare cœpit, ad tantamq; abſurditatem proceſſit, vt in vnamquamque libram noueni aurei dentur, in poſterum reprimi, ac ex communi vſu tolli oportere putauimus. Ideo id autem, ne rempubl. oblædat, neu ſubditorum contractus obturbet, ac inuoluat: præcipuè verò, quòd huius abſurditatis longè maxima pars (quantũ cognoſcere potuimus) in ipſa Alexandria ſolùm conſederit, neque ſimiliter per Ægyptum aut illius tractus alias ciuitates in publicum vſum peruenerit.

Cap. I.

SAncimus itaque, vt ſecundùm id quod olim obtinuit, tametſi medijs poſtmodum temporibus in ſignatura quæ apud Alexandrinos abſoluta dicitur, vitiatum ſit, in Ægyptiaco tractu de auri tractatione & valore ſtatuatur: ita vt non poſſit à quoquam pro malè adinuento atque excogitato obryzo quicquam exigi. 1 ¶ Item, vt qđ aurum per AEgyptum ratum & receptum eſt, ſic in contractibus computetur, quomodo quod in hac magna ſignatum eſt vrbe: idque periculo pro tempore præfecti apud Alexandrinos Auguſtalis, & quæ ipſi parent cohortium, ſeruetur.

Cap. II.

QVoniã verò fraudulẽti huiꝰ facinoris põderatores monetarijque authores ſunt, iniunximus illi qui illos magiſtratus nunc obtinet, vt ad dandam idoneam cautionem ſe per abſolutam ſignaturam [f] contractibus miniſtraturos, &, ſi quando ſignare oporteat, tan-

[a] *μετὰ τοῦ λόγου πίςεως Scrimger.*
[b] Græci *ζυγοςάτας Scr.* *hic: l. vlt. Cod. de ponderatorib. adde Cod. Theod. de ponderatorib.* de qb. j. *eo. dicã.*
[c] Græci *χρυσῶνας Scrim.*
[d] *περὶ ὀβρύζης Scrimg.* de quo j. dicã.
[e] *ὄβρυζαν Scrimg.* Sic in quadam lege Caroli Magni Aurũ ad obruſſã. Dicitur etiã *ὄβρυζον* in neutro vt in Baſilicis. Capitaliter punitur, qui *τὰ παλαιὰ ὄβρυζα* dixerit viliora. Obryzum Hieronymus quaſi ophirizum ex Ophira (quã nonnulli putant hodie vocari *le Peru*) inſula Iſidorus *16. c. 17.* quòd obradiet ſplendore. Eſt. n. coloris optimi qđ Hebræi *Ophax* Græci cairon (lege *καθαρὸν*) vocant: alijs, obryzum quaſi *ἄβρυζον*, .n. purum & ſincerum. Ab obryzo, obryziati ſolidi ex auro excoctiſſimo *l. 1. Cod. Theod. de ponderatorib. l. 2. C. vt nemini liceat in coëp. l. vlt. C. de veteris nomiſm. poteſt: l. 1. C. de obligat. votor. Sueton. in Nerone 44. in f.* Obryzę incrementum *l. 4. C. Theod. de auro coronar.*
[f] *ζυγοςάται* de quib. hoc edicto & lege *vlt. C. de ponderatorib.* libripendes, ſeu ponderatores, ſigna ponderib. imprimebãt, *vt hic*, eorũ iudicio nũmi in ſingulis ciuitatib. probabãtur, vt ex his appareat, quãta in explorãdis nũmis veterib. fuerit diligẽtia. Syneſiꝰ Aſclepiodoro *ὡς ἀπηρτίσθημεν, ὡς ἐζυγοςάτησαν, ὡς κατεσημαίνοντο τῇ δημοσίᾳ σφραγῖδι τὸ χρυσίον.* Pſeudo Plautus *in Querulo*, Quid tam ſimile quàm ſolidus ſolido? etiam hîc diſtãtia quæritur. In auro vultus, ætas & color: nobilitas, literaturã, patria, grauitas, atq; adſcriptio. quæritur in auro pluſquam in homine *Cuia. add. l. vlt.* Vt ad Zygoſtatas reuertar, ijs non dabatur excuſatio tutelæ quantumuis in publica re occupatis vt ad l. 6. ff. de excuſ. tutor notat Cuia. *ζυγοςασίας* fit mentio in lege 1. Co. *de frumẽto Alexandriæ.* Verũ eo loco *ζυγοςάτης* is eſt qui admetitur frumentum.

tum ſolummodo ſe inſcripturos, quantum reuera quod ſignauerint aurum pendeat, ipſos adigat: vt pro eo more qui perperam hactenus obtinuit, non liceat illis amplius quàm reuera ſignati auri pondus ſit, ſignaturę inſcribere. Si namq; tale quippiam auſi fuerint, & bona illorum publicamus, & corporalibus pœnis ipſos ſubijcimus, vt qui ſecundum iuſſa noſtra ab vſitato ſibi & conſuetò ſcelere non deſtiterint. Sed & neceſſe omnino habebunt, vt tum præfecto apud Alexandrinos Auguſtali, quique pro tempore eum magiſtratum habebunt, in conſuetis frumenti emiſſionibus, tum verò etiam alabarchæ[a] qui nunc eſt, quique pro tempore futurus eſt, & ſacrorum noſtrorum theſaurorum præpoſito, nullo prorſus accepto lucro aurum ſuppeditent.

[a] κατὰ καιρὸν ἀλαβάρχῃ Scrimger. de Alabarchis dixi *ad l. 9. C. de vectigalib. & commiſſ.*

## Cap. III.

Ita verò illi huius rei curam iniunximus, ijſq; qui magiſtratum poſt ipſum ſuſcepturi ſunt, & cohortib. quæ ipſis parent, vt ſciant, ſi pro obryzo aut à ſacrarum noſtrarum alabarchiarum[b] præfectis, aut à ſacrarum noſtrarum largitionum præpoſito quicquam exactum eſſe manifeſtum fiat, ſibi id de ſuorum ex ſuppeditatis ipſis & cohortibus annonis, tum etiam ex facultatibus ſuis dependendum fore: idque non ſolùm donec in magiſtratu fuerint, verùm etiam poſtquam magiſtratum depoſuerint: deinde etiam, ſiue initis ab initio pactis (vetus enim illud de obryzo[c] non eſt, cœptų; temporibus admodum nuperis & recentibus) participes iſtius lucri fuerint, ſiue etiam nihil iſtiuſmodi pacti ſint. 1 ¶ Alijs porrò qui mercaturam faciunt, & hactenus lucri aliquid capere conſueuerunt[d], interdicto ſimiliter denunciabis, quòd ſi quid in contractibus capere pro obryzo, aut in computationem deducere comperiantur, & bonis excaſuri, & corporales[e] pœnas ſubituri ſunt. Rem peruerſè cœptã, tantoq; progreſſu facto vniuerſam rempub. diſpendijs inuoluentem, per præſentem legem in reliquum tempus tolli iubemus, ne de cætero contractus afficiat & obturbet: idq; ita obſeruari periculo præfecti apud Alexandrinos Auguſtalis, quique pro tempore eundem magiſtratum geſturi ſunt, & vtrorumq; cohortium. *Adeo autem id iubemus*, vt vel eius memoriam aboleri *velimus*, quò à tanto incommodo & damno per Ægyptiacum tractum contractus *aliquando* liberi fiant.

[b] πρεσεῶτες ἀλαβαρχίων

[c] Obryzon quid eſſet, ſuperiùs dixi.

[d] Hoc innuit pro obryzæ incremento ſolere aliqd exigi, ſi fortè nummi, qui inferũtur, nõ ſint ex huiuſmodi auro. verum hic prætextus minimè obtẽdi debet illationi ſolidorũ, qui ſunt ſpeciei probæ.

[e] Sic in Baſilicis, κεφαλικῶν τιμωρηθήσεται ὅςις τὰ παλαιὰ ὄβρυζα ὄντα εὐτελεςέρως διαπιπράται.

## EPILOGVS.

¶ Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc ſacram exprimuntur legem, gloria tua effectui finiq; tradi & obſeruari iubeto. Dat. 6. Kal. Ianua. Conſt. Imp. Dn. Iuſt. PP. Auguſt. anno XVII.[f] poſt Baſil. V.C. Conſ. Anno 18.

[f] i. anno 545.

# DE HELLESPONTO.

## Edictum XII.

## PRÆFATIO.

Docta noſtra eſt potentia, quomodo Ioannes ſcriniarius per Helleſpontum, vt cui nomine ratiociniorum ciuilium, ſiue (vt vocantur) ſolennium prouentuum commiſſæ formæ eſſent, quum in regionem illam veniſſet à nulla re quæ ad ſummam deprædationem ſpectaret, abſtinuerit, ciuitates populatus ſit, & reuerſus in almam hanc vrbem, ipſe quidem auro abundauerit, Helleſpontiorum verò regioni omnẽ ſummámq; paupertatem reliquerit. Ac ſanè quomodo *idcirco* cum illo agi oporteat, & iniuria affectis reſarciri damnum poſſit, *iam* à nobis definitum eſt.

## Cap. I.

At quoniam; propter eorum quibus iſtiuſmodi demandantur, inſatiabilem auaritiam, generali[g] *legis* forma vniuerſale iſti rei remedium adhiberi debere putauimus, ſancimus, vt ſiquis iſtiuſmodi rei cauſa in prouinciam quampiam ſiue Helleſpontiorum, ſiue aliam quamlibet profectus, præſidale iuſſum habeat, ne quiſquam illi obtemperet, citráq; periculũ ipſius exactio propulſetur: ſi verò cum ſacra pragmatica forma venerit, & quod profert commonitorium ſit, aut literæ de hoc conceptæ, neque ijs obtemperetur, vti quæ ad deprędationẽ, prætérque noſtram notitiam & voluntatem prodierint: ſin quod oſtenditur, pragmatica forma ſit, vt[h] ne ſic quidem ex eo confeſtim aliquid fiat, ſed talem pragmaticam formam prouinciæ præſes apprehendat, de eaque ad nos referat, & alteram à nobis iuſſionem expectet: vt ſi illam, cuique talis forma commiſſa eſt, agnoſcamus, altera noſtra pragmatica forma, quæ exactionem fieri demandet, procedat: ſin aut rem aut perſonã reprobem⁹, nihil iſtinc fiat, ſed ſacra forma à prouinciæ præſide remittatur. qui ſciat, quòd ſi hanc rem neglexerit, indeq; damnum aliqđ ſubditis noſtris proueniat, iſtud ipſe de ſuo reſarciet.

[g] Ea eſt edictorum definitio *l. 3. Cod. de legibus.*

[h] Vetat Imperator temerè credi edictorum principaliũ latoribus, præſertim ſi in his agatur de vectigalib. imponendis.

## Cap II.

Facultatem verò etiam epiſcopis[a] damus, vt ſi prouinciæ præſes pragmaticam formam inhibere negligat, cuique illa demandata eſt, concedat & conniueat, eã rem nobis ſignificent. Ac ſi hoc didicerimus, illum tamquam criminis ſocium, de magiſtratu deijciemus: cingulo quoq; & facultatib. priuabimus, & qui quacunq; in re iniuriam paſſi fuerint, ijs indemnitatem recuperabimus.

[a] Epiſcopi præſidib⁹ negligentibus imminere poſſunt *facit l. 26. Cod. de epiſcop. aud.*

## EPILOGVS.

¶ Tua igitur excellentia, quæ nobis placuerunt, ex præſenti ſacra pragmatica forma diſcens effectui ſimul & fini tradere ſtudeto. Dat. 15. K. Septem. Conſt. Biliſ. V.C. Conſ.

# LEX DE ALEXANDRINIS ET ÆGYPTIACIS PROUINCIJS.

## Edictum XIII.

## PRÆFATIO.

Cvm vel minima[b] quęque noſtra cura dignemur, certè multo minus quæ maximi ponderis & momenti ſunt, ac rempub. noſtram cõtinent & conſeruãt, pro derelicto habere, aut neglecta cõpetẽtiq; ornatu vidua eſſe debem⁹ ſinere, pſertim quum tua excellẽtia miniſterio nobis ſit, cui per omnia noſtra incolumitas, rerum publicarum incrementum & ſubditorum noſtrorum gubernaculum curæ eſt. Conſiderantes itaque, quomodo ſuperioribus temporibus; tametſi alijs locis publicæ exactiones ſic ſatis conſtitutæ viderentur, in Ægyptiaco tamen tractu adeò confuſæ fuerint, vt quid in prouincia ageretur, hic cognoſci non poſſet: rei conturbatum modum atque ordinem, qui hucuſq; durauit, valdè admirati ſumus. Sed Deus hoc etiam temporibus noſtris, tuóque officio ſeruatum voluit. Vt enim nobis frumentum inde adijciebant, ſic nihil aliud contribuere volebant. verùm ſubditi omnia plenè à ſe exigi omnino affirmabant: pagorum[c] autem præfecti, & reipub. adminiſtratores, publici exactores etiam, & præcipuè pro tempore præſides hactenus eam rem ita adminiſtrarunt, vt nemini innoteſcere poſſet, ac ipſis ſolis lucroſa eſſet. Quoniam igitur, ſi rem in[d] genere ac promiſcuè adminiſtrari ſinamus, haud vnquam illam perpurgare decentérq; conſtituere poſſimus: ideò magiſtratum qui Ægypti rebus præeſt (*præfectum*[e] Auguſtalium nempe) moderatioribus curis præficere viſum eſt. Non temere enim vnius[f] hominis induſtria tãtis[g] curis par ſit, nec ita rem adminiſtrare valeat, vt inde cuiuſpiam boni ſenſus ad nos reſultet.

[b] Vel minimę quoque Imperatori curę eſſe oportet.

[c] πάγαρχοι Scrimg. 9. Euſeb. i. Iidẽ videtur eſſe qui a Diodoro i. βιβλιοϑ. dicuntur νόμαρχοι. Erat .n. diuiſa Ægyptus in plures partes, quarum quęlibet νόμος appellantur. idq; etiã confirmat Plin. 5. c. 9. hinc præpoſitura pagorum *l. 2. C. de ſuſceptoribus*. His locis permotus Cuiacius *ad legem 9. Cod. de iure fiſci.* legit, Præfectũ pagis, in lege 1. *Co. Theodoſ. de pignoribus*: præpoſitũ pagis in lege 49. *Cod. Theodoſ. de decurioni.* pro *Pacis*

[d] ἐνομάδως Scrimger. legendum ἐν ὁμάδι aut καϑ' ὁμάδα. ἐν ὁμάδι in vniuerſum aduerſione. de quo dixi ad *l. 62. in ff. de contrah. emp.*

[e] *V. l. 1. ff. & Cod. de off. præf. Auguſt.*

[f] Vnus plurium vicẽ ſuſtinere non poteſt.

## Cap. I.

Propterea igitur ſtatuimus, vt excellentia tua hanc noſtram ea de re legem ad ſe receptam ſic formet atq; ordinet, vt illam nos tuliſſe, tuam verò excellentiam miniſterium habuiſſe dignũ ſit. In primis autem ſpectabilem *præfectum* Auguſtalem ipſi Alexandriæ[h] præeſſe, & omnium eius rerum curam habere volumus, & inſuper duabus[i] Ægyptis, ac ijs ſolis, excepto oppido Menelaita

[g] Poteſtas & iuriſdictio præfecti Auguſtalis. [h] Innuit opulentiam AEgypti. [i] AEgyptus (quæ Mizraim ſacris ſcripturis: & Chus Arriæ Montano) duplex. Superior, olim Thebais: hodie Sahid Iohanni Leoni. Inferior, quæ & Delta antiquitus, poſtea Auguſtamnica, vel αὐγυςαννικὴ dicta eſt. Idem Leo refert AEgyptum hodie diuiſam in duas partes, Orientalem Bechria: Occidentalem Errif vocari ſcribit. Ammianus 22. paulò aliter refert. Tres inquit prouincias fertur habuiſſe temporibus priſcis, AEgyptum ipſam, Thebaidam & Lybiam, quibus duas adiecit poſteritas, ab AEgypto Auguſtannicam & Pentapolim, à Lybia ſicciore diſparatam. de AEgypto vide Herodotum 2.

[a] dicto, quod Ægypto præiacet, & præterea Mareota[b]. De illis enim quæ videbuntur, conſtituturi ſumus. 1 ¶ Volumus autem, ipſum (vt dictum eſt) non vni Alexandriæ, verumetiam duabus Ægyptis, dictis Mareota Menelaitáque exceptis, *ita* præeſſe, vt magiſtratus prouincialis dictarum duarum prouinciarum (quomodo etiam hucuſq; obtinuit) ipſi ſoli ſubſit. Et (quod in idem recidit) *volumus* ſpectabilem *præfectum* Auguſtalem propter dictæ maximæ vrbis [c] populoſitatem, magiſtratus militaris ius habere: non vt res diuidatur, in duóſve magiſtratus diſtrahatur: (id enim conducibile eſſe omnino non putamus) ſed vt vnus homo dicto ſolio præſit, & in omnes qui illic ſunt milites, ſiue in ipſa magna Alexandrinorum vrbe, ſiue in duabus (vt dictum eſt) Ægyptis ſtationes habeant, ius & poteſtatem habeat.

## Cap II.

CVrare enim etiam te oportet, vt decorum in ciuitate ſeruetur, neque tumultus quiſpiam in dicto populo oboriatur: & quum dicti magiſtratus præfectus, & ciuilis magiſtratus vim & militum robur in ſubſidium habeat, (quod quantum ad ipſos milites, tum qui in Alexandria, tum qui in vtraq; Ægypto ſunt, vicarius ſit) ille Deo duce & auſpice dicti decori per ciuitatem ſeruandi curam gerat: illique glorioſiſſ. generoſiſſimúſq; dux præſentalium[d], Orientalis etiam* [e] & Ad reſponſum[f] præſto ſint, & quæ is iubeat, in ijs obſequioſi ſint. Eſt autem ipſi cohors & Auguſtaliana & Ducalis, militum plus minus ſexcentorum: non vt ſeorſum Ducales ſint, ſeorſum etiam Auguſtaliani: ſed vt vna cohors, vnaq; recenſio ſit, in qua centum primates ſint, quinquaginta in Auguſtaliana cohorte, totidem inter Ducales: quorum inter ipſos ordo alternet, vt priores partes Auguſtalianus, alteras Ducalis habeat. quam centum inter ipſos primatũ formam deinceps conſeruari volumus. Cætera, vt ei qui magiſtratum obtinet, videbitur, conſtituantur: vt tamen cohortis mixtim ex Auguſtalianis & Ducalibus conſtantis numerum ſexcentorum militum ſcilicet, non excedat.

## Cap. III.

OMnia verò quæ ſub illo fiunt, & ad tuum ſolium, & per excellentiam tuam ad nos referuntur: vt quod à vobis ſit, ſi rectum & bonum ſit, authoritatem accipiat: & vbi cohors conſtituta fuerit, abſque probatorijs, quibus noſtra manu ſubſcriptum ſit, vt hactenus obtinuit, nemo Auguſtalianus fiat. Ipſa autẽ vniuerſa cohors Auguſtaliana appellabitur. Enimuerò qui ab Imperatore deſignatus, Imperatorióq; iudicio dignus habitus, magiſtratum aſſumet, & puras[g] manus conſeruabit, & ſe in omnibus Imperatorio iudicio dignum exhibebit. Neque enim nos tantam ſolummodo conſolationem, quantam vſque ad hunc diem ſpectabilis Auguſtalis habet (quinquaginta annonas, & quinquaginta capita [h] videlicet) ex publico illi dabimus: ſed magno auctario adiecto, quadraginta auri libras pro annonis, conſuetudinibus, & calandicis [i] quotannis ipſum accipere volumus: idq; à vindice[a], & ex ſubiectis huic formæ locis & cauſis.

[a] Oppidum Menalaita, olim Canopus. de quo ſic Ammian[9] *lib. 22. inf.* Hactenus, inquit, impendio locus fanis & diuerſorijs lętis extructus, auris & ſalutari tẽperamento perflabilis, ita vt extra mundũ noſtrum morari ſe q́ſquã arbitretur in illis tractibus agens, cum ſępe aprico ſpiritu immurmurantes audierit vẽtos. [b] hinc Mareotis nomos apud Ptolomæum: Mareotidos fit mentio apud Pliniũ 5. *c. 9.* [c] Alexandriæ ſc. de qua v. *Ammianum 22. inf.* [d] ϛρατηγὸν τῶν πραισεν ταλίων *Scr.* Præſentales, qui pręſentes adſunt Pręfecto Auguſtali, vt & pręſentiales domeſtici *l. 6. Co de aduoca. diuer. iudic.* ſeu pręſentales *l. vlt. Cod. de domeſtic:* (vbi Græci pręſentales παρασασίμους vertũt) *l. 12. Cod. de re militar:* præſentes milites, vel numeri *l. 18. l. vlt. inf. Co. de re militari.* Præſentalis curioſus curſ[9] publici. *Notitia Imperij* præſentium ordines 17. *Nicephor. 1.* Hinc magiſter præſentalium militum, *lege vltima, C. de re militari: l. 12. l. vlt. Co. de off. magiſt. milit.* qui ſunt in ſacro comitatu principis, vel, vt Arcadius loquitur, in præſenti *l. 21. §. 2. ff. de teſtib.* præſentale magiſterium. Marian[9] dicit fuiſſe duos comites militũ præſentaliũ. [e] τὲ * καὶ. [f] ad reſponſus ἀποκρισιάριος, quaſi legatus & vicarius ducis præſentalium militũ. De apocriſiarijs alias dixi. [g] *Nouel. 17. cap. 1.* [h] τὰ πεντήκοντα κάπιτα *Scrim.* Capita, pabula equorum. *dixi ad l. vn. Cod. de annonis & capitu.* [i] καὶ καλανδικῶν *Scrim.* de calanticis, ſeu calauticis ornamento capitis, dixi *ad l. 25. §. 10. ff. de auro.* Sed id nihil ad Calandica pertinet. Calandica videntur fuiſſe capiti genus aliquod, vel idem quod capitum, cuius paulò ante facta mentio eſt. In eaque opinione confirmauit me authoritas Cornelij Bertrami ſacræ linguæ profeſſoris, poſtquam mihi indicauit, *KaladuKKa* Arabibus ſignificare gramen & paleam quod optimè conuenit Capiti definitioni. Eſt enim κάπιτον, πρόβλημα τῶν ἀλόγων, *vt dixi ad tit. Cod. de annon. & capit.* ac niſi capitum id eſſet, fore genus pallij magnifici ac tenuiſſimi è lino, quale erat Ægyptium: voce deducta ex Chaldaico Kelan-daKKa, quod etiam malè non conuenit ijs quæ ab Herodoto dicuntur *lib. 2.* Ægyptios ſolere veſtiri lineis circa crura fimbriatis, quas Calaſiris appellant. Fuiſſe inter cætera Ægyptum lino celebrem conſtat ex Plinio 19. *c. 1.* AEgyptio, inquit, lino minimũ firmitatis, plurimum lucri. Quatuor ibi genera Taniticum, & Peluſiacũ, Buticũ & Tentyriticũ. *& poſt* Veſtes inde ſacerdotib. AEgypti gratiſſimæ &c. Qd de ſacerdotibus ſcripſit, id ita eſſe indicat prouerbium à Plutarcho relatum: ὔτε φιλοσόφυς πωγωνοτροφίαι καὶ τριβωνοφορίαι ποιοῦσι, ὔτε ἰσιάκυς αἱ λινοςολίαι. Iuuenalis loquens de Iſiacis, Qui grege linigero circundatus & grege caluo. Nedum autẽ (vt hoc obiter moneam) linigeri Iſiaci ſed & raſo capite. Lampridi[9] *in Commodo,* Sacra Iſidis coluit, vt & caput raderet & Anubim portaret. Quem morẽ AEgyptiaci monachi retinuiſſe videntur. inde ad alios tranſlatum.

## Cap. IIII.

ADſeſſores autem eius ex eiſdem quinque libras auri accipient, quęq; ipſis apparet cohors, mille ſolidos: quanquam antehac tertiam eius ſummę partem ſolummodo habere ſolet. Ita res iſta per ſe ſplendida erit, próq; noſtrorum temporum dignitate adminiſtrabitur. 1 ¶ Vt porro ſolennis ſtatáque frumenti illatio [b] rectè procedat, id eius qui iſtiuſmodi magiſtratum tenebit, primam curam eſſe volumus: vt ipſe ſpectabilis *præfectus* Auguſtalis, & quæ illi cohors apparet, ſuo bonorúmq; ſuorum quæ in præſentia habet, quæque aliquando habiturus eſt periculo: cohortis verò etiam tanto periculo, vt nõ de his modò, verumetiam de ſalute & vita iudicium ſubitura ſit, omnem curam & diligentiam ſubire debeat, vt dictum felicis [c] ſolenniſque illationis frumentum & exigatur, & conſuetis temporib. emittatur. 2 ¶ Atque hoc quidem, quod ex vtraq; AEgypto contribui debet, exiget: aliud verò citra dilationem ſuſcipiet, aut etiam nauibus inijciet: quantúmque canon eiuſdem ſolennis illationis quæ in hanc almam vrbem aduehi ſolet, poſtulat, huc emittendum curabit. 3 ¶ Volumus inſuper, vt ſimiliter quod à nobis magnæ Alexandrinorum vrbi donatum eſt, quantum quidem ex vtraq; AEgypto pendi debet, exigat ſuo cohortiſque ſuę periculo: quantum verò ex vtriſq; locis prouenit, ſuſcipiat: quod tradatur modo, quàm qui hactenus obtinuit, longè explicatiore, qui in ſequentib[9] declarabitur: & (quomodo conſueuit) in eiuſdem vrbis alimoniam expendat, quo illi Deo propitio per omnia ſatis ſit. Quò autem huic rei nullum omnino impedimentum adferatur, cum ipſo ſpectabili Auguſtali eidem periculo ſubijci placet, quotcunq; in militum ſub ipſo conſtitutorum, clariſſi. etiam tribunorum, & cuiuſcunq; ciuilis publicię; auxilij officium atque numerum adſcripti ſunt.

## Cap. V.

CAEterum quod *frumentũ* ex locis ipſius iuriſdictioni nõ ſubiectis exportatur, id eatenus inducere ipſi periculum & neceſſitatem volumus, vt poſtquã exportatum ſit, ipſe ſine vlla mora id ſuſcipere, & quæ ipſi paret cohors ad hanc almam vrbem ſuo periculo deuehere debeat. Summa etiam cum diligẽtia curabit, ne ex ſubiectis ipſi ciuitatibus, prouincijs, quibuſcunq; locis, portubus etiam aut oſtijs, prius frumenti quicquam exportetur, quàm ſtata [d] illatio Alexandria ſoluerit: ac verò vt ne tum quidem, extraquàm ſi id à nobis per ſacras noſtras formas, aut ſoliorum tuorum iuſſa permiſſum fuerit, aut permittendum ſit. In omnib. autem cohortales quæ ipſis iniunxerit (quomodo prius dictum eſt) ipſi miniſterium præſtent: nauicularij vero frumentum ſuſcipiãt, nauibuſque imponant, atque Deo duce ad hanc almam vrbem nauigent.

## Cap. VI.

SAnè ſi ex vtraque AEgypto frumentum non exegerit, neq; illud huc mittendæ felicis [e] ſolitæq; illationis Alexandriam importandum, neque ante finem menſis Auguſti ad almam hanc regiamq; vrbem [f] vehendum curarit: ſi etiam frumentum Alexandrinis à nobis in alimoniam elargitum, menſe Septembri in ipſorum vrbem nõ importarit: ſciat, quòd quantum illationis alimoniæue frumento, pro eo modo qui ex vtraque AEgypto inferri conſueuit, deeſt, in ternas artabas[g] pro ſingulis ſolidis à ſolio tuo & ipſe, ſiue magiſtratum adhuc obtineat, ſiue priuatus factus ſit, & hæredes ſucceſſoréſque ipſius exigentur: nulloque modo bona ipſius libera erunt, antequam quicquid inde debet, ad ternas ęſtimatũ artabas tuis mẽſis intulerit. Interim conuenit omnino vt ad prædicta tẽpora ipſe ex vtraq; AEgypto plenariam etiam exigat.

[a] παρὰ βινδικὸς *Scrim.* de vindicibus dixi ad Nouellam 128. *cap. 5. & 8. Nouell. 134. c. 2.* [b] quam Græci hîc appellant αἰσίας ἐμβολῆς διοικησιν *v.* quæ *dixi ad l. 4. C. de epiſcop. aud.* [c] τῆς αἰσίας ἐμβολῆς σίτον. Eadem & ſacra embola *v. l. 10. Cod. de ſacroſanct. eccleſ. l. vlt. Cod. de nauibus non excuſand. Nouell. 163.* Ea ſolennis & annua ſpecierum & annonarum tranſmiſſio fiebat ex AEgypto Conſtantinopolim. Ab Embola, Embolicæ ſpecies apud Vopiſcum. [d] περὶ αἰσίαν ἐμβολὴν ἀποπλεῦσαι *Scrimg.* [e] αἰσίας ἐμβολῆς. [f] Conſtantinopolim ſc. [g] Artaba *hic & cap. 22. in f. cap. 23. in f.* genus menſuræ AEgyptiacæ, modios quinque accipiens. Hieronymus 2. *in Eſaiam 5.* Ariſtophanis interpres in Acharnenſibus. Ἀγάνη μέτρον ἐςὶ περσικὸν ὥσπερ ἡ ἀρτάβη παρ' αἰγυπτίοις. adde Sudam in ἀρτάβη.

## Cap VII.

## Cap. VII.

QVandoquidem verò de ſolemni illatione tractatus connexum & inſeparabilem habet portoriorum titulum, volumus etiam, quæ ad ipſum pertinent (quò iſti negotio plenè conuenienterque proſpiciatur) certa iuris forma comprehendere. Volumus igitur, ne in poſterum portoriorum ſuſceptor facultatem habeat, vt ſe quibuſcumq; publicis vectigalibus immiſceat, ac nonnullis ſoluendo vectigali obnoxijs illud remittat: itaque quæ ἐνδοματικὰ [a] nuncupantur *(quæ per indulgentiam & gratuitò data dixeris)* accipiat, & publica inde negligat: ab alijs verò plus quàm par ſit, exigat, & plures vt violentius & ſuprà conſutos, ac hinc confundendæ rei occaſionem initiumque capiat, portoria quidem recuſari non poſſe prætendens, ex rei verò confuſione ſuum commodum captans: & menſas quidem tui tribunalis deſpiciēs, ſimul autem lucri cauſa cuncta ad ſe trahere conans.

## Cap. VIII.

QVoniam etiam tua excellentia vigilanter cuncta gubernās, nos docuit, quantum [b] portoriorum canon qui ex Alexandria ſuppeditatur, ſubducta ratione conficiat, ſolidorum *videlicet* octoginta millia, (quippe quum quod frumentum tranſmittitur, in octogies centena millia exurgat) volumus, ex ſubiectis prouincijs, locis & prouentibus portoriorum ſuſceptori octoginta hæc ſolidorum millia dari. Quam largam liberalitatem ideo fecimus, vt ne quid omnino ex dilatione defectúve ſolemnis frumenti tranſmiſſionis cōficeretur. Spectabilis autem *præfectus* Auguſtalis, & quæ ipſi cohors ex Auguſtalianis, prioribuſque Ducalibus (vt dictum eſt) in vnam coitionem coniunctionemque conflata paret, portoriorum ſuſceptori per ciuitates atque loca, & ab hominibus ex Alexandria & vtraque Ægypto in hoc delectis exactiones facient. Cuiuſmodi exactionem ipſe etiam portoriorum ſuſceptor ſimiliter faciet. Vt ſuo periculo (quo modo dictum eſt) *præfectus* Auguſtalis ac ipſius cohors vna cum portoriorum [a] ſuſceptore hæc exigant. Ipſi verò harum rerum exactionis periculum etiam incumbit, vt irreprehēſibiliter aurum exigat, & in dictum vſum expendat, & prout hactenus moris fuit, nauicularijs [b] diſtribuat: vna cum ipſo portoriorū ſuſceptore in omnibus labores & pericula ſuſtinente ſpectabili *præfecto* Auguſtali, cum ipſi parente cohorte, & fortiſſ. per illa loca conſtitutis cohortibus cum ſuis tribunis: quippe quia conueniens ſit, vt omnibus modis portoriorum ratio per contributionem ſuppleatur, hæcque ſuſceptori dentur, qui conuenienti conſuetoque modo illa diſpenſet, ac pro omni ſolemni illatione nauicularijs præbeat. Atque hæc quidem prima illi cura adminiſtratioq; applicanda eſt ſolennis illationis & portoriorum.

## Cap. IX.

SEcundo deinde loco excellentiam tuam, & pro tempore huius magiſtratus præfectum, ſcriniarios etiam & tractatores [c] & duos ex Ægypto & Alexandria curam habere volumus exactionis publicorum tributorū, in tribunalis tuæ excellentiæ vtramque menſam, & priuatam & publicam, inferendorum, ex illis ſcilicet ciuitatibus, & ab illis perſonis, horumque fideiuſſoribus, & è locis quæ in hoc ſelecta ſunt, & ſacræ huic legiſlationi ſubiecta: vt nullo modo neque ſpectabilis *præfectus* Auguſtalis, neque quæ ipſi paret cohors, neque Dei amantiſſim. Alexandrinus epiſcopus cuiuſpiam publicè exactionis rationem reddere vel exigere, aut etiam per qualemcunque cauſam indicta exactione, quæ ad excellentiæ tuæ menſas, aut ad homines ab illa delectos pertinet, communionem habere poſſit: præterquam ſi tractatores, quique in prouincia illorum locum ſupplent, auxilij cauſa id fieri petierint. 1 ¶ Si enim hoc petant, aut ſi gloria tua, quique pro tempore eundem magiſtratum obtinebunt, id iubeant, neceſſe habebit *præfectus* pro tempore Auguſtalis, quique ſub ipſo ſacramento obſtricti milites ſunt, & horum tribuni, cohors etiam quæ eidem magnificentiſſim. Auguſtali apparet, & quodcunque ciuile publicumque auxilium, vt ſcriniarijs tuis ſuppetias veniat: & vt omnes iſtiuſmodi illationibus vtriq; excellentiæ tribunalis tuæ menſæ competentibus obnoxij, citra omnem dilationem impoſita ſibi publica tributa inferant: neque contradicere audeant, faciat. 2 ¶ Si enim qui in vtraque Ægypto (excepta Mareota [d] & Menelaita vrbe, de quibus in ſequentibus conuenientia ſtatuemus) aut Alexandriæ habitant, iſtiuſque modi illationibus obnoxij ſunt, ad dationem vultum obuertere, in aliquóve aduerſari audeant: & ſpectabilis *præfectus* Auguſtalis militarem ſimul & ciuilem magiſtratum obtinens, cohortiumque primores & tribuni, illum aut illos qui debent, inferre atque in fiſcum beneuolos eſſe non coegerint: ſciant & ipſe magnificentiſſimus *præfectus* Auguſtalis, & quodcunque auxilium cuius paulò ante mentionem fecimus, ſe in cingulis fiſco in partem eorum quæ debentur adiudicandis periclitaturos: qui verò contradicere auſi fuerint, bona ſua publicanda, ſeque è prouincia eijciendos eſſe. Manifeſtum verò ſit, quòd in omnibus quæ ab excellentia tua decernentur, *præfectus* pro tempore Auguſtalis tuæ excellentiæ poteſtati ac imperio, prout hactenus moris fuit, ſubfuturus eſt.

## Cap. X.

CÆterum ſi gloria tua, aut ſcriniarij, aut tractatores, aut qui illorum locum ſupplent, in prouincia fidem publicam nonnullis dari voluerint, pro illis ipſi periclitabuntur. Dabit tamen illam Dei amantiſſ.

[a] ἐνδοματικὰ, ea ſunt quæ dat collector exactori, vt aliquid de exigendi ſeueritate remittat. *Vide l. vltim. §. primo, Co. de exact. trib.* Ea ratiōe dicūtur ἐνδοματικὰ, qua ἐμφανιστικὰ, id eſt, inſinuatiua, q clerici dant pro introitu, *vide Nouell.* 56. ἐνθρονιαστικὰ, ſeu inthroniſtica, ſeu Cathedratica, quæ ab epiſcopis *Nouell.* 123. *cap.* 3. δικαστικὰ, quæ à litigatoribus dantur iudici, *Nouell.* 89. *cap.* 9 δεσποτικὰ, quæ principi, *Nouell.* 8. εἰσδεκτικὰ, quæ à nouo emphyteuta *Nouell. Leonis decima ter.* εἰσελαστικὰ, quæ dabantur athletis pro coronis *vide l.* 5. *Cod. quæ res pignori.* ἑρμηνευτικὰ interpretitia, quæ dātur interpreti, *l.* 3. *ff. de proxenet.* παραπομπικὰ, Nouell. 128. c. 9. & ἀγωγικὰ, l. vlt. Cod. de diſcuſſorib. τρακτευτικὰ, ἀπαστικὰ, Nouel. 30. c. 3. ἐπιδημητικὰ, *Nouell.* 134. *c.* 1. vt & chartiaticum, *l.* 6 *ff. de bonis damnatorum.* pulueraticum, *conſtit. Theodo. & Valentin. apud Frontinum Nouell. Leonis & Maioriani de Curialibus. Caſsiodor.* 12. *Variar. l.* 16. *Codice Theodoſ. de tyronibus. Vide Cuiac.* 4. *obſ.* 18. *in fin.* πορνικὸν τέλος apud Aeſchinem. γαμικὸν δῶρον 37. Eclog. περὶ τοῦ ποιεῖν λόγους, &c. *c.* 2. Viaticum *l.* 79. *ff. de iudicijs. l.* 1. *§.* 9. *ff. de tutelæ & rationib.* Addamus & reliqua mercedum genera, legatis legatiua, *vide l.* 2. *ff. de legationibus.* nutricibus Nutricia *l.* 1. *§.* 14. *ff. de extraordin.* quæ Græci τροφεῖα. obſtetricibus μαιῶστρα: ſeruatoribus σῶστρα: liberatoribus, λύτρα ſiue ἄποινα: præceptoribus διδακτρα. *huc facit l.* 12. *§.* 13. *ff. de adminiſt. tutor.* Indici fugitiui μήνυτρα 10. Eclog. 2. ca. περὶ τῶν διδομένων *ex lib.* 20. *cap.* 8. & 9. *§.* 2. *item titu.* 4. *cap.* 14. & *ibidem ex tit.* 2. *cap.* 2. (Latini indicium *l.* 4. *§.* 4. *ff. de condict. ob turp. l.* 15. *ff. de præſcrip. Paul.* 2. *ſenten.* 31. *§.* 20. Indicinam appellat Apuleius 7. de Aſino) εὕρετρα inuentori rei *l.* 43. *§.* 9. *ff. de furtis* εὐαγγέλια fauſto nuntio *vide Cod. publicæ lætitiæ.* Cerarium pro cera dabatur, *Cicero*: philanthropon, proxenetæ, *l.* 2. *ff. de proxenet.* honorarium aduocato, *leg.* 10. *§.* 10. *ff. de extraordin.* ſalarium, Comitibus iudicum *lege* 4. *ff. de off. adſeſſor. lege prima, §. octauo, ff. de extraordinar.* στεγανόμιον, penſio inſulæ 3. *Harmenopu.* 8. *dixi ad legem* 56. *ff. locati.* Xenia iudicibus etiam dabantur *lege ſexta, §. tertio. ff. de off. proconſul.* Quid ἀνακαλυπτήρια, ὀπτήρια, προσφθεγκτήρια, *dixi ad titulum, Codic. de ſponſalibus.* θρεπτήρια alumno dabantur. Dotarium, quod & ὑπόβολον, & dotalitium *vid.* 4. *Harmenopul.* 10. & morgengeba, vxori, *dixi ad titul. Codic. de donationibus ante nuptias.* Palmarium *lege prima §.* 12. *ff. de extraordinar.* ſymbolum à conuiuis *Terentius in Andria.* quod & ſymbola à Tertulliano *lib. aduerſus Valentinianum.* naulum *lege ſexta, ff. qui potior. lege* 39. *§. primo, ff. de legatis* 1. Vectura, penſio *lege vltima ff. de iure fiſci.* ſalgamum quid, *vide Codic. de ſalgamo.* ſportulæ *vide Codic. de ſportulis.* de præmio manumiſſionis, *vide legem* 3. *Codice de bonis maternis.* introitus *vide leg.* 102. *§. ſecundo ff. de legatis* 3. natalitium, nuptalitium, *leg.* 194. *in fin. ff. de verborum ſignificationibus.* merces hortorum *lege* 30. *§. primo, ff. de legatis* 3. ἀπαργυρισμὸς 56. *Eclog.* 17. *cap.* 43. quæ & adæratio. Locarium ſeu προσθύριον κέρδος *Nouell. Leonis* 56. 104. *lege* 15. *in fine. ff. qui potior. lege* 39. *§. quinto. ff. de legatis primo.* cloacarium *lege* 37. *§. tertio. ff. de vſufructu. lege* 39. *§. quinto. ff. de legatis* 1. quod & τὸ τέλος τοῦ καναλίου 16. Eclog. 1. cap. 27. τὸ τέλος τοῦ ὑδραγωγίου *Ecloga dicto loco.* id eſt, quod ob formam aquæductus penditur, *lege* 27. *§. tertio. ff. de vſufructu. lege* 39. *§. quinto, ff. de legatis* 1. τὸ τέλος τῆς ὁδοστρωσίας Ecloga dicto loco. καὶ τῆς στρατιωτικῆς παρόδου καὶ τοῦ πολιτικοῦ, καὶ τὰ δημόσια τέλη Ecloga dicto loco. πατρωνίκιον Nou. *Tiberij capite quarto.* Emeritum *lege tertia, §. octauo, §.* 12. *leg.* 5. *§.* 7. *ff. de re militari.* his conferri cupio Petrum Gregorium 27. *ſyntag.* 2.

[b] ſumma portorij frumētarij Alexandriæ 80000. ſolidi: Tranſmiſſio frumenti annua 800000.

[a] ἀποδέκτῃ τῶν ναύλων.

[b] ναυκλήροις.

[c] τρακτευτάς.

[d] *v. cap.* 17. & *ſequen.*

patriarcha [a] in tot dies, atque in hunc modum, in quem ab excellentiæ tuæ magiſtratu iuſſum, aut à tractatoribus petitum fuerit. Et ſi præter hæc publica [b] fides detur, erit illa omnino irrita. Non enim quemquam præter hęc hominibus in quamque cauſam delectis fidem publicam dare concedimus: præter quàm ſi quis in hoc fidem publicam capiat, vt in publico verſetur, & intra certos dies quicquid debet omnino fiſco perſoluat, aut ſufficientem tractatoribus ſcriniarijsve cautionem præſtet. Ad hoc, qui præter hæc fidem publicam quocunque modo ceperit, æqualis cum ijs qui non acceperunt conditionis ſit, intraq; ſacra etiam ſepta exactionem ſuſtineat. 1 ¶ Verùm ſi Dei amãtiſſimus archiepiſcopus extra dictum modum fidem publicam dederit, neceſſariò Dei amantiſſimi œconomi, & ſanctiſſ. eccleſiæ defenſores, quod damnum fiſco hinc obortum fuerit, id agnitum de ſuo & de facultatibus ſuis reſarcient. Qui ſi ſat diuites non fuerint, ex [c] ſanctiſſimæ eccleſiæ pecunijs & rebus fiſco ſatisfiet.

2 ¶ Quòd ſi præter noticiam & voluntatem Dei amantiſſ. epiſcopi fidem publicã ipſi dare auſi fuerint, non modò ea omnino irrita erit, verumetiam ipſi fiſco damnum rependent: & beatiſſimus patriarcha, ſi quid pręter voluntatem ipſius fecerint, omnino ipſos & ab officijs quæ habent, remouebit, & è ſacerdotio eijciet. 3 ¶ Si verò magiſtratus quiſpiam contra vetita, cuipiam qui publica tributa tuis menſis aſſignata debeat, fidem publicam dederit, ſiue *præfectus* Auguſtalis, ſiue clariſſ. tribuni qui cohortibus præſunt, ſint, & à dignitate magiſtratuq; remouebitur, & fiſco priuatus factus damnum reſarciet: idque non modò quum adhuc ſupererit, verum etiam [d] vbi mortuus fuerit. Obnoxij enim ipſi hæredesque & facultates ipſorum huiuſmodi exactionibus erunt: vt *videlicet* pœnarum metu iſtiuſmodi nihil committatur, neque *quiſquam*, priuſquam omne debitum perſolutum ſit, pœnam effugiat. 4 ¶ Item ſi quis ex ijſdem ciuitatibus locisve in ius vocatum exemerit [e], aut exactioni impedimento ſit, oportet & hunc in quantum exemptus tenebatur, obnoxium eſſe eiusque exactionem cum hæredibus ſucceſſoribusque ſuis & in bonis ſuſtinere. Cæterùm quibus (vt dictum eſt) omne periculum incumbit, (tractatoribus nempe & ſcriniarijs) omnem ipſi poteſtatem procurationemque huius rei habeant, totumq; canonem qui ex dictis ciuitatibus, prouincijs, atque locis menſis tuis infertur, ad menſas tuę excellentię, tum publicam, tum priuatam emittant, & quibus tu dari conſtitueris, tradant.

[a] πατριάρχης.
[b] γένοιτό τις λόγυ δόσις. Edict. 2. §. eod.
[c] Priuati culpa nocet interdum eccleſiæ, *facit l. 10. in fi. C. de ſacroſan. eccleſ. adde c. 76. de regul. in 6.*
[d] Delicti nomine, in bona defuncti ad pœnam agere poſſumus, quantumuis regulariter crimẽ morte finiatur. *dixi ad Nou. 22. c. 20.*
[e] *l. 1. ff. ne quis eũ qui in ius vocat. Nouel. 30. c. 12. in fin. princip.*

## Cap. X I.

STatuimus porrò, vt ſpectabilis *præfectus* Auguſtalis ijs qui à ſolio tuo in hoc mittuntur, ſiue tractatoribus, ſiue ſcriniarijs, ſiue [f] qui ipſorum locũ ſupplẽt, in exactionibus ipſos reſpicientibus, & in publicam priuatamque menſam inferendis, neceſſariò opem ferant.

1 ¶ Et ſi quem ex dictis locis in fiſcum improbum eſſe, atque vt exactionem effugiat, tumultum [g] ciere contingat, volumus tractatori, ſiue ſcriniario, ſiue qui illorum locum obtinet, facultatem eſſe, vt hoc magnificẽtiſſimo *præfecto* Auguſtali manifeſtum faciat: qui ſuo cohortis que ſibi apparentis periculo milites ſuccurrere rei, inhibereq; improbos, & quæ menſis debentur exigere cogat: vt dum hęc per ciuilem militatemque manum perficiuntur, citra dilationem exigi, & in magnam [h] hanc vrbem importari poſſint. Sciant autem clariſſ. tribuni fortiſſimiq; milites, & maximè qui inter illos principatum obtinent, quòd ſi hoc neglexerint, neque vt illa omnia quæ diximus facerent, curarint, de [i] annonis etiam periclitabuntur. Retinebuntur enim illæ à *præfecto* pro tempore Auguſtali, ipſiusque periculo menſis tuis inferẽtur. Tum & bonorum publicationem ſuſtinebunt clariſſ. ipſorum tribuni, quique inter ipſos primas tenent, qui ſanè & capitale ſupplicium metuant: & vniuerſum agmẽ è prouincia motum vltra Iſtrum flumen [k] ſiue Danubium transferetur, vt in illorum locorum limitibus cuſtodiæ cauſa perſeueret. 2 ¶ Illi verò qui in fiſcum improbi fuerint, atque iſtiuſmodi neceſſitatem expectarint, publicationem ac perpetuũ exilium Sebaſtiam [l] & in Pityuſam (quæ in extremis * Euxini Ponti finibus eſt) deportari ſuſtinebunt. Eandem verò ſimilemque curam & occaſione largitionalium titulorum, omniumque quæ ad ſacras noſtras largitiones pertinent, ſpectabili *præfecto* Auguſtali imponimus, quæ quidem ab ipſo atq; etiam eius cohorte & Alexandriæ & per vtramque Ægyptum debeant expediri. Etenim harum rerum hęc à nobis cõſtituta procuratio eſt. Et conueniens eſt, vt ipſe eiuſque cohors ſuo periculo largitionalium tributorum, omniumque cauſarum ad ſacras noſtras largitiones pertinentium exactionem curet: vt huiuſmodi publicæ illationes, quæ ſacris noſtris theſauris applicantur, omni periculo ſpectabilem *præfectum* Auguſtalem, ipſique obſecundantem cohortem concernente & exigantur, & ſacris noſtris largitionibus inferantur. Si enim horum quicquam neglectum fuerit, periculum illi & de magiſtratu & de bonis imminebit: idque non ſolùm dum in magiſtratu erit, ſed poſtmodum etiam, quando magiſtratum depoſuerit: adeo vt illud periculum ad ſucceſſores quoque eius, & hæredes tranſiturum ſit. Donec enim quæcunque ex locis ipſi ſubiectis ſacris noſtris largitionibus debentur, expleta fuerint: non ipſe tantùm huiuſmodi exactionibus obſtrictus erit, verùm [a] hæredes etiam eius & ſucceſſores. 3 ¶ Sed neque aſylum [b] dabit quiſquam ijs qui ipſius iuriſdictioni ſubſunt, præterquam ij qui exactionis periculum (vt dictum eſt) *ſuſtinent*, quæ ſit periculo ſpectabilis pro tempore præfecti Auguſtalis, & obſecundantis ipſi cohortis. Pecuniæ autem deuotis ſacrarum largitionum palatinis transfundendæ ſunt, quorum hæc res curæ incumbit, aut qui alioqui ad hoc à glorioſiſſ. præfecto, inclyto huic magiſtratui præpoſito emittuntur. Neque contra ea quę antè excepta ſunt, fidem publicam dare quiſquam, aut in exactionibus impedimento eſſe *poterit.* 4 ¶ Deuoti autem milites, & qui in agris, & qui in vrbibus illis ſunt, paſſuri eadem ſunt, niſi ipſi quoque opem tulerint: omnibusque modis largitionales pecuniæ collectę, ac ijs qui in hoc miſſi fuerint, transfuſę ſint, & deniq; tanta cum alacritate exactionem exercuerint, quantam in ea ab arcarijs exhiberi præcepimus.

[f] Eadẽ fides in ſucceſſore requiritur, q̃ in auctore.
[g] Coercitio tumultum cientis ob frumenta.
[h] Conſtantinopolim ſc.
[i] *Vn prince peut arreſter les gages de ſes officiers, et ſe payer ſur iceux de ſon deu.*
[k] Iſter, ſiue Danubius.
[l] Σεβαστοπολιτῶν καὶ Πιτυούντων Sebaſtopolis & Pityuſa ad Pontũ Euxinum ſitę fuerunt.
[a] Hæres facto defuncti tenetur.
[b] λόγον ἀσυλίας v. Edictum 2. §. eod.

## Cap. X I I.

ILlud item ſpectabili præfecto Auguſtali tribuimus, vt ipſi, & militibus, & regionis primoribus [c], & rerum fiſcalium ſub ipſius iuriſdictione & poteſtate cõſtitutarum exactoribus, in omnibus imperare licitum ſit: vt tamen regionis [d] primores, ſi aut circa frumentum, aut circa portoria [e], aut alias fiſcales res, quæ vel dictas cauſas vel ſumptus per prouinciam faciendos concernant, improbuli atque refractarij ſint, pro imperio remouere non poſſit. Si quid autem mali fecerint, non remouebit quidem illos, ſed in cuſtodia conſtituet: delectiſque circunſpectè alijs qui rectè in negotio verſentur, omnia huc ſolio tuo, & per hoc porrò Imperatori nunciabit: quo nos omnia cognoſcentes, & de illorum qui rectè in negotio verſati non ſunt eiectione, & delectorum regionis primorum [f] (ſi videbitur) inſitione, eorumque quæ ad regionis [g] primatum ac primorum bona pertinent traditione, quod æquum & conueniens ſit, ſtatuamus.

1 ¶ Sed & qui Alexandriæ & per vtranque Ægyptum rempublicam adminiſtrant, omnesque etiam qui tributa ipſius exactionibus aſſignata in locis ipſi ſubiectis tractant, ipſius imperio ſuberunt. Quin & in alias quaſcunque prouincias ipſi non ſubiectas, vt & *debitores* ad ſe adducat, & fiſcalia exigat cõcedere: & ſi qui, quum Alexandriæ aut in duabus Ægyptis poſſeſſiones habeant, alibi degant aut in prouincijs ipſi non ſubiectis habitent, hos in prouinciam quam deſeruerunt (quò rebus fiſcalibus ipſi ſubiectis nihil impedimenti obueniat) reducere illi liberum fuerit. Quod idem faciet, ſi qui ad menſas tuas pertinentia debeant, & tractatores, quive illorum locum ſupplent, aut qui exactionibus publicis priuatisve tuis menſis inferendis incumbunt, tale quippiam ipſi ſignificarint. Nam & tunc ad eundem modum & emittere & adducere hos debebit, vt à tractatoribus tuis exactionem ſuſtineant. Non poterunt autem debitores, quum in alijs locis ſunt, in fiſcalium rerum cauſa præfectum Auguſtalem exceptione ſubmouere, quaſi competens ipſorum iudex non ſit. quod ſanè & in largitionalibus exactionibus fieri volumus.

[c] πατριάρχαις.
[d] πατριάρχαι.
[e] ναῦλα.
[f] πατριαρχῶν.
[g] πατριαρχίας.

## Cap. X I I I.

REſtat ea exactionum cura quam ſpectabilis præfectus Auguſtalis ipſique obſecundans cohors militaribus impenſurus eſt ſumptibus, ijs qui Alexandriæ, quique in duabus [h] *ſubiiciuntur* Ægyptis, tum etiam ciuilibus ſolennibusque magnæ [i] Alexandrinorum vrbis & vtriuſque Ægypti tributis. Erit igitur ſpectabilis præfecti Auguſtalis ipſiq; obſecundantis cohortis, vt hęc ſuo periculo & exigant, & tradant, neque eam rem amplius tuæ excellentiæ ſcriniarius exequetur, quem quòd

res mi-

[h] de vtraque Ægypto dixi *c. 1. §. eod.*
[i] Ammianus 22. Alexandriã vocat verticẽ omnium ciuitatũ Ægypti. Inter cætera aer Alexãdrinus laudatur ab eodem. Nullo, inquit, pene die incolẽtes hanc ciuitatẽ ſolem ſerenum non vident. *adde & Plinij 10.*

res militares adminiſtret, ςρατιώτην [a] Ægyptij nuncupant. Atque hic quidem in vniuerſum definet: ſpectabilis autem præfectus Auguſtalis, ipſiq; obſecundans cohors, quibuſcumque voluerit modis, ſuo periculo exactionem faciet, omnibuſque deuotis militibus qui Alexandriæ ſtationem habent, ſumptus ſuppeditabit, eos ſuo periculo à ſubiectis locis & ciuitatibus exigens.

[a] Nota de ſtratiota Ægypti, quẽ & ςρατήγιον vi detur appellare c.15.16.§. eod.

## Cap. XIIII.

COges porrò pro tempore Alexãdrinum vindicem [b], vt quos ſumptus facit, eos omnes in accendendis calefaciendiſque publicis balneis, ac alijs omnibus ciuilib. ſolennibus faciat: qui quidem *ſumptus* ſacræ huic noſtræ legi expreſsè omnes ſubiecti ſunt. quæ deſcriptio hoc quoque euidenter declarabit, ex cuiuſmodi locis, atque titulis ſiue cauſis, & perſonis hi colligantur, deinde quanti ſint, quemque ad modum diſpenſari debeant: ſolennes ſumptus videlicet, & quotquot in duabus Ægyptis ciuiles [c] ſunt, qui ciuitatibus periculo peculiaris harum prouinciarum magiſtratus porriguntur. In ijs verò qui a ſpectabili præfecto Auguſtali ipſius cohortisq; periculo diſpenſabuntur, fidem [d] publicam dandi, & quæcunque negocio conducere putauerit, faciendi facultatem habebit: quippe cum periculum in ipſum eiusq; cohortem omne concedat, vt tamen qui ſumptus Alexandriæ ſiunt, per illos qui hactenus eos faciunt, ſeruata conſuetudine fiant. 1 ¶ Nullus autem hoc prætextu, quòd ſpectabili præfecto Auguſtali non ſubſit, neque verò etiam ipſe ſpectabilis Auguſtalis, neque eius cohors improbitatem aliquam inceptent, fraudémve quampiam aut in illationibus aut in frumenti ſolenniter illati tranſuectionibus committant: ſed purè rem tractent, eoque modo quo quam maximè reipublicæ & proſpiciant & commodent: expendentes quàm ea res neceſſaria atque ineuitabilis ſit: & ſcientes etiam quòd extremo [e] ſupplicio obnoxij erunt, ſi quid hac in re non ſolùm maleficiosè perpetrarint, verumetiam vafrè quicquam & per commentum egerint.

[b] βίνδικα. de vindicib. aliàs dixi.

[c] Ciuiles ſumptus πολιτικὰ δαπανήματα.

[d] λόγον.

[e] id eſt, mortẽ, ℣. l.21. ff. de pœnis.

## Cap. XV.

ENimuero illud etiam quod ab excellẽtia tua ad nos relatum eſt, in hac lege inſcribendum eſſe duximus: Gloria enim tua, in dicta ciuitate Alexãdria omnia perſcrutata, inuenit in tabula quæ temporibus Anaſtaſij pientiſſ. Principis confecta fuit, quando Marianus vir inclytus ſub ipſo res adminiſtrabat, extitiſſe tabulam publicam, quum vindicis [f] in modum Potamon fiſcalibus Alexandrinis præeſſet, qua in tabula [g] deſcriptus eſſet rerum exportandarum titulus, qui diuerſis cauſis * mille aureos ita expenſos ferret, quadringẽtos nonagintaduos publicis eiuſdem ciuitatis balneis: quadringentos item & vndeuiginti anticantharo [h], vt vocant: quingentos poſtremò & quinquaginta octo cum dimidio, portoriorum [i] ſuſceptori: vt deſcripta ſumma in mille quadringentos ſexagintanouem aureos exurgat. Deinde verò ab ijs qui rempublicam adminiſtrant, in eandem rerum exportandarum cauſam aureos centum perceptos eſſe. Præfectum autem pro tempore Auguſtalem pro triginta ſex pullis equinis trecẽtos & viginti aureos accepiſſe. Similiter præbere dictæ Alexandriæ ciuitatis equeſtribus [k] ludis. Atq; hanc quidem formam eſſe non ſolùm magiſtratus illuſtriſſ. Strategij [l], verùm etiam vſq; ad ſecundam indictionem præteriti circuli (quæ fuit ante annos quindecim) duraſſe. Ex eo autem tempore quorundam negligentia, aliorum aũt dolo malo, plurimorum verò etiã furto eam rem paulatim imminutam, & publicas balneas illas quadringentorum nonaginta duorum aureorum ſumma, portoria autem quingentorum quinquagintaocto, & ſemiſsis aureorum illatione defraudata eſſe; idque occaſione illis data, quòd nonnulli partim ex Principis aula, partim ex ſolijs tuis facultatem ſibi pararent, vt gratis è dicta ciuitate Alexandria tegulas [m] aliaſque ſpecies quæ iſtiuſmodi tributo obnoxię ſunt, exportaret. Atq; ita quidem memoratam ciuitatẽ paulatim eſſe depauperatam.

[f] κατὰ τὸ βινδικ☉ σχῆμα.

[g] tabula rerũ exportandarum.

[h] τῷ χαλουμένῳ ἀντικανθάρῳ. Αντικάνθαρος, nauigij genus, vt κάνθαρ☉. Anticanthari fit mentio §.c.16. infr.

[i] ἀποδέκτῃ τῶν ναύλων.

[k] τῇ ἱπποδρομίᾳ.

[l] τῦ ςρατηγίε.

[m] Tegulæ Alexãdria Cõſtantinopolim adportari ſolitæ.

## Cap. XVI.

EXcellentiam itaque tuam & in his animum intendentẽ amplexati, ſtatuimus, ne aliquibus iſtiuſmodi ſacra Principalis forma data quicquã vtilitatis adferat: ſed omnes agnoſcant, quod vſque ad illuſtriſſ. illius Strategij [a] tempora dare conſueuerunt: ne etiam ſpectabilis præfectus Auguſtalis maiores ſumptus faciat, quàm antea & temporibus illuſtriſſ. Strategij fieri ſoliti ſunt: neque nouo aliquo commento tributa illa attingat, ſibiq; vendicet: ſed vetus forma quæ vſque ad Strategium illuſtriſſ. illum & ipſum obtinuit, cuſtodiatur. ne deniq; pro tempore Auguſtali contentionis occaſio detur, vt hic quòd nihil ceperit, ille verò quòd minus ceperit dicat: ſed ex vniuerſa ſumma mille octingentorum & vndenonaginta aureorum aurei trecenti & vndeſeptuaginta leuentur & demantur. Aliquanto enim benignius quàm pro exactione iure agere, & ob copias præfecto pro tempore Auguſtali colligendas, alios mille quingentos & viginti aureos ſolos ex titulo inferri volumus: quibus ex aureis trecẽtos illos & viginti aureos occaſione trigintaſex pullorum, quos ex antiqua cõſuetudine Alexandrinis equeſtribus ludis ſuppeditare tenetur, ſpectabilis præfectus Auguſtalis ſibi imputabit. Reliquos verò mille ducentos aureos, eidem in annonas ipſius annumerari volumus. Atque ita quidem ea res non difficilis ſolutu fuerit, & priſtinam rationem ſeruabit, neque vlli prorſus ad dolum malum feneſtra aperietur. De publicarum autem balnearum calefactione, & anticantharo [a], & publicis portorijs, ex alijs cauſis deſcriptio in hac ſacra lege adhuc inſtituetur.

[a] ςρατηγίε.

[a] ἀντικανθάρῳ dixi ad c. 15. §. eod.

## Cap. XVII.

QVoniam verò Mareotam [b] Libycõ [c] tractui ſubiecimus, & nonnullos Alexandrinos in popularibus ſeditionibus deprehẽſos, quò ſibi inferendas à ſpectabili præfecto Auguſtali pœnas effugiant, illuc profugere conſtat: ſtatuimus, vt pro tempore ſpectabili Auguſtali facultas ſit, vt ob hanc cauſam, & quidẽ ſolam, commentarienſem [d] illuc mittat, qui ad eum qui clariſſ. prouinciæ Libyę præſidis locum obtinebit, cum publicis [e] literis proficiſcatur. quò illos & comprehendat, & per cohortes militeſque qui ſub ipſo ſunt, tradat: vt nemo qui Alexandriæ publicos tumultus mouerit, illuc confugiat, & ſpectabilis præfecti Auguſtalis pœnas euitet. Inſuper & illi ipſi qui iſtis partibus præfuerit, facultas erit, vt ſi quos tales inueniat, eos & comprehendat, & caſtiget, atque etiam ** publicè manu emittat & liberet. In his itaque dictum magiſtratum circumſcribimus, quæque in hac lege explicauimus, hæc illi facienda iniungimus. Sic enim cura ipſi rei facilè par, contracta etiam vndique neque confuſa fuerit, nullamque ad confuſionem furtumque propenſis maleficij occaſionem præbebit.

[b] ℣. c.1. c.9.§. 2. §. eod.

[c] Libycus tractus, prouincia Ægypti, eaque duplex Libya ſiccior & Pentapolis cuius vrbes præcipuę Cyrenæ, Ptolemais, Arſinoe (quæ & Teuchira) Darnis & Berenice. Illius Paretonion, Cherecla & Neapolis ℣. *Ammianum* 22. *infr.*

[d] κομμενταρήσιον.

[e] μετὰ δημοσίας ὁπισθολῆς. De literis requiſitorijs earumq; vſu in negotijs criminalib. aliàs dixi.

## Cap. XVIII.

HInc nos cura Libycorum limitum vocat, quos ad Paratonium [f] conſtituimus, collata inibi militari manu, quæ in illis locis barbaros compeſcat. Spectabilem enim Libyæ ducẽ (vt dictum eſt) per Paratoniũ, & per ſubiectas illi ciuitates (in quibus qui ſub ipſo ſunt milites, ipſius iuſſis obſequentur) velut ſtatiua caſtra obtinere volumus. Percipiet autem ipſe attributas ſibi annonas, vt pro annonis quæ in ſpeciebus ſunt, nonaginta, proque capitibus centum & viginti aureos conſequatur ſupra mille quinque & quadrantem: pro annonis autem, quæ in auro conſiſtunt, quinquaginta: ac pro totidem capitibus, aureos quadringentos. Ipſi item obſecundans cohors habebit aureos cẽtum octoginta ſeptem. Et milites, qui videlicet ex his Libybus [g] Iuſtinianeis, quiq; apud aliquam Iuſtinianearum cohortium dictis locis aſſignatarum ſunt, ſuas annonas, quemadmodũ reſpub. ipſis cõſtituit, percepturi ſunt. Manifeſtum *interim ſit*, quòd & omnia ſolennia quæ ciuitatib. ipſis aſſignatis *dari ſolent*, quo modo hactenus data ſunt, deinceps *ipſis* dabuntur. Similiter verò & prouincialis magiſtratus, obſecundanſque ipſi cohors, ſuas annonas habebit. 1 ¶ Verùm quoniam, ſi quis omnes hoſce ſumptus ſupputet, non paria neque ſufficientia futura ſint quæ ex locis ipſi ſubiectis, ſiue ex Libyum prouincia inferuntur: idcirco neceſſariũ eſſe duximus, vt Mareotam [h] (quo modo dicitur) & Menelaitam vrbem [i] (quæ ante Ægyptiacã prouinciã ſita eſt) ipſi adijceremus. Efficere.n. alioqui nequeat vt è publico militibus ſub ipſo conſtitutis ſalarium ſuppeditetur, ſi quæ danda ſunt, aliunde pendeant, ac ſub alio magiſtratu cõtribuatur: tũ etiã hinc ex diuerſitate magiſtratuũ innumeræ ſolicitudines atq; tumultus eſſet exoriturì. Atq; ille quidẽ dictis locis præerit, tu verò tuo periculo, tibiq; obſecundãs cohors, & ciuilis magiſtrat[9], vnà cũ

[f] quæ & Paretonium Ptolomeo *in Africa:* & Plinio 5. c.6. Paretoniũ *Ammian.* 22.

[g] λιβύων Ιυςινιανῶν.

[h] de Libya Mareotide ℣. 5. *Plin.* 6.

[i] de qua dixi c.5. §. e. fuit co gnominata à Menelao, cũ antea Canopus diceretur *Ammian.* 22. *infin.*

cohorte,exactionem perficietis:& quod collegeritis, militibus,vobiſque ipſis diſtribuetis, vt ipſorum & ſumptus & annonæ hinc conficiantur, proprio periculo exactione illorum facienda.

Cap. XIX.

NE verò hîc cuiquam excogitãdi, quomodo aut maiores ſumptus faciat, aut minorem illationem colligat,occaſionem demus: hac etiã re decenter conſtituta,per ſubiectam huic ſacræ legi deſcriptionem manifeſtum fecimus quantus ſit canon qui & ex dictis prouincijs locisq;,& ex Libya ipſa, Mareota etiam, Menelaitaq; vrbe illatus,ad tribunal tuæ excellẽtiæ defertur: tum etiam quanti ſint ſumptus quos circa magiſtratus, cohortes,ſolennia, & deuotorum militum alimoniã fieri conueniret. Spectabilis autem præfectus Auguſtalis, ipſiúsve cohors, aut quicunq; alius ꝓuincialis magiſtratus, cum dicto duce in ſubiectis ipſi prouincijs,ciuitatibus & locis nullam omnino cuiuſquam rei communitatem habebit. Verùm ipſe ſpectabilis dux & ciuilis Libyę magiſtratus in dictis locis,tum in pecuniarijs & criminalib. cauſis, tum etiam in publicis exactionibus omnem poteſtatem obtinebit: vt quæcunq; in Libya ſunt, & omnes qui illa loca poſſident,in ſuis quiſq; poſſeſſionibus,& qui incolæ ſunt etiam, ſpectabili duci ſubiecti ſint. Adeo vt, tametſi qui ſub dictis ciuitatib. aut locis quibus ſpectabilis dux præeſt,poſſeſſiones habent, in alijs prouincijs habitent, ſimiliter tamen in publicis exactionibus ipſi ſubijci velimus:vt poteſtatem habeat, vt ad ipſos *exactores* emittat, omniaque quæ exactionis ratio poſtulat,faciat.

Cap. XX.

POrrò quia etiam ſacræ noſtræ largitiones ex his prouincijs atq; locis quæ dicto Libycorum limitum duci parent, nonnulla recipiunt, noſque æqualem atque ſimilem illis curam impendimus: ſancimus, vt dictus Libyæ, & Mareotæ,Menelaitæq; vrbis(hæc enim illi adiecimus) ſpectabilis dux [a] & prouinciæ præſes cum obſecundante ipſi cohorte ſuo periculo largitionalium pecuniarum, quæ ex omnibus dictis debentur locis, exactionem faciat:ita vt plenæ illę,citraq; vllum defectum quotannis exigantur,& ab ipſis Alexandriam emittantur: porroque cui pro tempore ex deuotis palatinis,vt illic præpoſiti officium adimpleat,commiſſum fuerit,tradantur: qui ipſis auxilium ferre debebit, ſciens quòd niſi has res omnibus modis curauerit,in idem cum duce, præſide, & obſecundantibus ipſis cohortibus periculum incidet. In hoc etiam milites ſuppetias veniẽt: & niſi id fecerint,in periculo erunt ne eaſdem pœnas ſubeant quas Alexandriæ & in vtraq; Ægypto conſtitutis militibus, niſi & ipſi eam rem æquali cura dignarentur,impoſuimus. Neq; verò præter cauſas ſuperius exceptas,pręterque deuotorum dicti magiſtratus palatinorum voluntatem,qui à ſuo pro tempore præfecto ad exactionem publicorum largitionalium omninò emittuntur, aliquæ ſecuritatis promiſſiones in largitionalibus cauſis dari poterunt:ſed è diuerſo, in ijs [b] etiam locis quę aſyla appellantur,exactio exercebitur,omniaque alia ſimiliter per Libyam,Mareotam, Menelaitamque Ægyptiacam ciuitatem in largitionalibus exactionibus exigentur, quemadmodum Alexandriæ atque in vtraque Ægypto arcariarum exactionũ occaſione fieri oportere diximus.

[a] de duce Libyæ, Mareotæ, & Menelaitæ vrbis.

[b] ἔνδον τῶν ἀσύλων χωρίων.

Cap. XXI.

CÆterum neq; portoriorum, neq; priuatæ publicæve tribunalis excellentiæ tuæ menſæ rationes cum dicto Libycorum limitum magiſtratu & exactione *(eo autem magiſtratu, eaq́; exactione, qui quæq́; hactenus* fuit,& qui quæq́; iam adijcitur,Mareotæ nempe, & Menelaitæ ciuitatis, quæ Ægyptiacæ prouinciæ ſunt) nihil prorſus cõmune habeant: propterea quòd iam ante conſtituimus,vt vniuerſus canon qui ex Libya,Mareota,Menelaitaq; vrbe quocunq; modo, & ex quocunque eorum quæ ad excellentiæ tuæ magiſtratum referuntur titulo contribuitur,ad hos ſumptus quos ſuprà diximus procedat,nempe ad alimoniam magiſtratuum, cohortium & militum,ac deniq; ad ſolennia. Quæcunq; autem occaſione largitionalium illationum dicta nobis ſunt, omnibus modis obſeruentur. 1 ¶ Quoniam verò hoc etiã in curã noſtram ſuſcipimus, ne ſubditi noſtri ex magnis locorum interuallis colliſionẽ ſubeant, itaq; iniuria afficiantur,ſed vt quia Mareota Alexãdrię vicina [c] ſit,& nonnulli qui illic turbant, veniant neceſſe eſt facere adimplentem magiſtratus officium,* tradẽtur autem ipſi conſolationis cauſa aurei centum. Atque hîc quidem etiam quæ à nobis de Libyę adminiſtratione conſtituta ſunt,finem habento.

[c] vide Ptolemæum.

Cap. XXII.

SEquitur dehinc, vt tranſeamus ad limites Thebaicos, hoc eſt,duas Thebaidas,quib. pręeſt ſpectabilis dux [a], qui à nobis hanc adminiſtrationem accipit:cui etiam harum prouinciarum peculiares magiſtratus obediunt; quiq; in eodem honore in quo præfectus Auguſtalis eſt, tanquam ſi is ipſe eſſet, futurus eſt: ac per omnia tuæ excellentiæ ſtatutis tribunalique Orientali ſuberit, quemadmodum nunc etiam ſpectabilis præfectus Auguſtalis ſubeſt. 1 ¶ Damus enim illi omnem iuriſdictionem & poteſtatem quam ſpectabilis Auguſtalis habet * iam olim ipſi attributis,hoc eſt duabus Thebaidis [b]. Hoc ipſius curæ ſuo periculo incumbit, vt primùm ſummã diligentia frumentum ſolennis illationis exigat: dein emittat, tradatque ſpectabili Alexandrino Auguſtali:& omne frumentum quod ad ipſius prouinciam,ciuitates, atq; loca pertinet, quodq́; etiam ad illationem felicis huius vrbis, & ad alimoniam à nobis Alexandriæ benignè donatam refertur, vt ad iam dictas conſtitutas dies citra defectum & cum effectu paratum ſit, ſuo periculo operam det: ita vt nulla in his dilatio fiat: quippe cum omne * etiam obſecundantem ipſi cohortem.* Periclitabuntur etiam milites qui in illis locis ſunt,& tribuni,omneq; ciuile atque publicum auxilium, niſi in his ſuppetias ferant. Oportebit autem ſolennis illationis quæ huc emittitur, menſuram ante [c] diem nonum menſis Auguſti ab ipſo cum effectu fluuialibus nauibus imponi, & quæ ſub ipſo eſt plenariam ab ipſo exigi: deinde idem frumentum ante decimum menſis Septembris Alexandriam deportari, atque ſpectabili præfecto Auguſtali, aut qui ab illo in hoc deſignati ſunt,tradi: alimoniam autem à nobis per liberalitatem magnæ vrbis Alexandriæ donatam,ante decimum quintum menſis Octobris. 2 ¶ Illud enim in confeſſo eſt, quòd niſi ad dictas dies omne ſolennis illationis huc mittendæ, atq; Alexandrinis in alimoniam datũ frumentum Alexandriam emiſſum, ſpectabilique præfecto Auguſtali traditum fuerit, ipſe quod frumenti menſuræ deeſt,quodq́; traditum nõ eſt,id omne in ternas artabas [d] ſingulis ſolidis apponere debebit. Hoc autem periculum non ad vitam,neq; ad magiſtratum ipſius modò durabit, verum etiam priuatus factus, & mortuus productiorem vita ſua exactionem ſentiet. Hæredes ſiquidem & res ipſius iſtiuſmodi difficultatibus obnoxiæ erunt: cùm negligentia illius continenter aduerſus ipſos periculũ, curam, & exactionem dabit:quoad omnis debiti ad dictum modum diſſolutio fiat.

[a] de duce Thebaidos.

[b] Thebais, ꝓuincia Ægypti,in ea Thebę portarum centũ 5. *Plin.* 9. ſeu hecatõpylos *Ammia.* 22. Illud mirabile, 20000. vrbiũ in Ægypto fuiſſe tẽporibus Amaſis *Plin. d. loco.*

[c] Illationis ſeu embolæ Thebaicę tẽpus.

[d] *dixi ad c. 6. §. eod.*

Cap. XXIII.

NEque verò eorum quicquam quæ hactenus facta ſunt,cõquiſitis alijs innouamus. Scimus enim, quomodo Ioãnes glorioſiſ. comes illius magnificæ memoriæ filius ante completum eundem mẽſem primæ indictionis iam nunc præteritæ, omne frumentum Alexandriam intulerit,eiq́; qui eo tẽpore Auguſtalem magiſtratum obtinebat,tradiderit Mareotæ. Ne autem ſpectabilis Alexandrinus Auguſtalis amplius metuat, ſtatuimus, vt clariſſ. pro tempore Libyæ ciuilis magiſtratus ſuo periculo hominẽ induſtriũ eligat, atq; emittat huic vicariũ, qui Mareotæ & Menelaitæ reſidebit, pecuniariasq́; atq; criminales cauſas, necnõ alia omnia quæ in vicinis circa Mareotam & Menelaitam ciuitatẽ locis aguntur audiet, ac quæ deceant faciet: tum etiam ſi qui Alexandrini ſeditioſi fugerint, hos comprehendet, &, vt eorum quæ ita committũtur nihil inultum relinquatur, ad ſpectabilem præfectum Auguſtalem, ſcriptis ad illum publicis literis, mittet. Sanè ſi, quum ſeditioſi aliqui Mareotam fugerint, hos ſpectabilis præfectus Auguſtalis prehendere velit,facultatem habebit, vt [e] vnum aliquem ex commentarienſib. ſuis cum publicis [f] literis ad eum qui clariſſ. Libycæ prouinciæ præſidis locũ ſupplet,emittat,quò ipſius cura & periculo ordinis honeſtatisq; turbatores cõprehendantur,tradantur,& Alexãdriam emittãtur. Aſſignamus enim dicto vicario viginti cohortales, ex ea cohorte quæ prouinciali Libyæ præſidi paret:& milites ex illis qui illic ſtatiua habẽt:numero ad quinquaginta,vt & qui pareant & miniſtrent habeat,& ad exigenda ea quę competunt,

[e] Forma mittendarum literarum quę requiſitoriæ dicuntur.

[f] δημοσίαν ἐπιστολὴν πρὸς ἐκεῖνον ποιούμενος. *dixi ad Nou. 17. c. 14. Nou. 134. ca. 5. adde l. 15. §. 1 ff. de re iudicata.*

tunt, par ſit. 1 ¶ Miniſterium autem ipſi præbebunt dicti cohortales & milites, tum in cõſeruatione ordinis, tum in alijs omnibus quæ illorum officij eſſent, qui ab ipſo in hoc quod iam conſtituimus, deſignari ſolent. Exiget etiam plenariam [a], prout quondam à nobis conſtitutum eſt. Deinde quod huic rei annexum eſt, (de portorijs loquimur) omnino ipſius, prouincialiumque magiſtratuum, & obſecundantium ipſi cohortium curæ atque periculo ſubiacebit: vt quotcunque ciuitates loca atque homines ſuppoſitæ huic legi deſcriptioni ſubiecimus, portoriorumque titulo aſſignauimus, ab his citra vllam imminutionem omne aurum quod inde prouenit, & exigat, & portoriorum [b] ſuſceptori tradat: idque intra conſtituta tempora, in nulloque prorſus illa tranſgreſſus: ne videlicet portoriorum rationi impedimentum inferat, quod rurſum ſolennem illationem impediat. Certè enim ita ipſum huius rei periculum reſpiciet, vt quodcunque portoriorum ſuſceptori ad diem perſolutum non fuerit, huius duplum ab ipſo eiuſque cohorte depoſcendum ſit.

[a] πληναρίας Plenaria *hic & j.* §.2. apochæ toti[9] debiti, apochæ generales *dixi ad Nouell.* 128. *c.*3. *in pr.*

[b] τῶν ναύλων ἀποδέκτῃ, Naulũ ergo, idem quod portorium.

2 ¶ Quæcunque verò ex prouincia ipſi à nobis tradita, excellentiæ tuæ menſis [c] inferuntur, hæc per excellentiæ tuæ cohortem, & ſcriniarios, dictarumq; prouinciarum tractatores [d] à locis, ciuitatibus, & perſonis huic ſacræ noſtræ legi ſubiectis, euidentioremque exactionis facilitatem facientibus, proprio ipſius periculo exigi volumus. Illi enim hæc exigent, atque huc tranſmittent. Neq; ſecuritatis [e] promiſſiones dabit quiſquam, ſiue magiſtratum gerat, ſiue ciuitatis epiſcopus ſit, ne ſpectabilis quidem Alexandrinus Auguſtalis, niſi iuſſio à ſolio tuo procedat, quæ id velit, aut etiam ipſi tractatores. Hoc ipſum etiam fecit qui in præſentia eundem magiſtratum obtinet, Orion videlicet glorioſiſſ. vrbicas plenarias [f], & quæ ſub Ioanne, & quæ ſub Orione collecta emiſſa eſt, tua excellentia noſque inſpeximus. Socordiæ igitur ſolummodo fuerit & proditionis, eos qui tanti fuerint, nolle imitari: præſertim quum maiorem potentioremq; illum fecerimus, & Auguſtalis dignitatem atque iuriſdictionem ipſi dederimus. Et profectò tolerabile nõ eſſet, ſi qui maiorem poteſtatem indeptus ſit, ſuperioribus ſe inferiorem exhibeat, vniuerſamq; rempublicam periculo ſubijciat, ſe verò perpetuo exitio implicet, dum magiſtratu excidit, atque in iudiciũ protrahitur: dum in priuata vita, & poſt mortẽ per ſuos hæredes debitum diſſoluit, donec in ternas artabas [g] frumenti omnis menſura quæ exportata nõ fuerit, per ſolium excellentiæ tuæ exacta, fiſco plenè admenſa ſit.

[c] τραπέζαις.

[d] τρακτευτῶν, &c.

[e] λόγον ἀσυλίας, *v. edict.* 2. s.

[f] ἀσυνὰς πληναρίας, *dixi ad* §. 1. s. *eod. & ad Nouell.* 128. *c.* 3.

[g] *dixi ad ca.* 6. *inf.* s. *eod.*

## Cap. XXIIII.

IMperium verò habebit & in milites & in [h] paganos: in illos quidem, pro iure militaris magiſtratus: in hos autem, pro ratione iuriſdictionis Auguſtalis: inſuper in ſubiectos ipſi (quemadmodum antea diximus) prouinciales magiſtratus, quibus dictæ prouinciæ curę ſunt, atque in obſecundantes illis cohortes: in omne item ciuile publicumque auxilium, & in omnem magiſtratum, quique rempublicam tractat: breuiter, in omnes qui in illis prouincijs aut ſunt aut habitant, aut pagos gubernant, aut quoque modo rempublicam adminiſtrant. Quos facultatem habebit vt ad ſe adducat, quãquam in alijs prouincijs ipſi non ſubiectis habitent, in ſolis tamen publicis exactionibus. Quod faciet, tametſi qui in ipſius locis ſunt, aufugerint. Ita enim in publicorum tributorum exactione vndique excuſationes atque prętextus excludentur.

[h] ἄρξει δὲ καὶ στρατιωτῶν καὶ ἰδιωτῶν.

1 ¶ Quòd ſi quos illorum qui pagos [a] gubernant (pro quibus etiam periclitatur) circa ſolennem frumenti tranſmiſſionem, aut circa ea quæ portoriorum prouincialiumque ſumptuum nomine dantur, refractarios experiatur, non hos remouebit, ſed in cuſtodia conſtituet, aliosque ad eam rem idoneos quæret, atque hæc tuæ excellentię ſolio indicabit: quò res per te, & qui in poſterum eundem quem tu magiſtratum obtinebũt, ad aulam Imperatoriam relata, inde diſpoſitionem dijudicationemque ſuſcipiat: ita vt improbitatis accuſati, ſi ſic nobis videbitur, repellantur: qui verò in horum locum delecti ſunt, ſi idoneos eſſe iudicabimus, ſufficiantur, & diuina ſacraque noſtra atque ſolij tui de hoc iuſſione facta, in illorum pagarchias [b] atque bona ſubeant.

[a] τῶν παγάρχων. dixi ad initiũ huius edicti.

[b] παγαρχίας.

2 ¶ Ante omnia itaque curare ipſum volumus ſolennem illationem atque alimoniam Alexandrinorum, vt ſuo prouincialiumque magiſtratuum & obſecundantium ipſius cohortium periculo illam Alexandriam emittat, quatenus ſub ipſo conſtitutæ prouinciæ & ciuitates periclitaturis etiam clariſſ. tribunis cum omni ciuili publicoque auxilio circa cingulum, bona, & ſalutem ipſam, niſi auxiliati fuerint. Verùm huc felicis frumenti tranſmiſſionis. vſq; [c] ad decimum menſis Septembris, vniuſcuiuſque indictionis niſi Alexandriam emiſerit, & huius Auguſtali, quive ab ipſo deſignati ſunt, tradiderit.

[c] *adde ca.* 22. s. *eod.*

3 ¶ Donatam autem à nobis Alexandrinæ vrbi alimoniam vſque ad decimumquintum menſis Octobris mittet, tradetque ſpectabili præfecto Auguſtali aut ſcriniarij, aut qui ipſorum locum obtinent, hoc petierint: veruntamen ad eandem diem, & in hos terminos, quos ſolium tuum præſtituerit, ſi & ipſi hæc fieri velint: extra quàm ſi nonnullis in hoc fidem publicam dent, vt è ſacris locis egreſſi res ſuas inſpiciant, omnibusque modis explendum fiſcum, illive ſatisfaciendum curent: quo hoc tribunalis tui ſcriniarij, qui huius rei periculum in ſe receperunt, accipiant. Nam quæ præter hæc fides publica datur, eam nullam eſſe: atque vbicunque [d], in ſacris etiam locis, cum qui eo modo fruſtrà fidem publicam acceperit, exactionem ſuſtinere volumus. Inſuper & qui ita fidem dederit, quæ hinc exactiones & damna obuenient, ijs ipſe & hæredes ipſius atque ſucceſſores & bona ſubiacebunt.

[d] Aſyli iure nemo aduerſus fiſcũ fruitur, *adde l.* 6. §. 4. *Co. de his qui ad Eccleſias. Nou.* 17. *c.* 7. §. 1.

4 ¶ Quòd ſi quis Dei amantiſſimi. epiſcoporum contra iam dicta fidem publicam dederit, neceſſe habebunt Dei amantiſſimi eccleſiæ ipſi ſubiectæ œconomi & defenſores, vt inde proueniens damnum fiſco reſarciãt: ac primùm quidem de ſuo & ex bonis ſuis: deinde verò, ſi inopes ſint, ex [e] ipſis etiam ſanctiſſimis eccleſiæ rebus. Verùm ſi præter voluntatem Dei amantiſſimi epiſcopi aliquo modo ipſi dare fidem publicam auſi fuerint, non modò quod factum eſt, omnino irritum erit, verum etiam ipſi damnum fiſco reſarcient. Ad hoc etiam, ſi tale quippiam præter epiſcopi ſui voluntatem fecerint, & ab officijs quæ habent remouebuntur, & è ſacerdotio eijcientur.

[e] V. c. 10. s. *eo.* V. c. 76. *de regul. in* 6.

5 ¶ Ac ſi præſes cõtra vetitum modum cuipiam, qui publica tributa tuis menſis aſſignata debeat, fidem publicam dederit, aut tribuni, aut primores.

* * * *